18
4
145

18
4
145
BIBLIOTECA NAZIONALE
CENTRALE - FIRENZE

18, 4, 145

PRO EURIPIDE

ET NOVO EJUS ITALICO INTERPRETE

DISSERTATIO

P. CARMELI

Sac. Theol. Doctoris & in Gymnaſio Patavino Publ. Profeſſoris.

PATAVII, MDCCL.

Ex Typographia Seminarii.

Apud Joannem Manfrè.

SUPERIORUM PERMISSU.

Digitized by Google

Digitized by Google

PARS PRIMA.

CUM mecum ipſe ſæpe cogitaverim quid cauſſæ ſit, cur plerique omnes, qui ſe ad ſcribendum dediderunt, monſtra quædam nonnunquam atque παράδοξα effutire ſoleant, vidi plane penituſque cognovi, id fieri immodica quadam φιλαυτίᾳ, quæ una dominatur maxime, qua velint vel Muſis invitis ſuper ceteros excellere, unde unde eſt, etiam in muſtaceo gloriolam quærere. Hinc impotens ſcribendi licentia apte inepte, belle impolite, quovis modo. Hinc effuſa ac profligata redarguendi & deſpiciendi alios audacia juſte injuſte, vere falſo, qualibet ratione. Hinc pertinax opinionis ſemel ſuſceptæ patrocinium probandæ improbandæ, cujuſcunque ea tandem generis ſit. Hinc partium ſtudium, hinc invidia, hinc odium, hinc poſtremo litterarum ipſarum, pro quibus pie caſteque eſſet laborandum, peſtis atque pernicies naſcitur. Præclare quidem cum litteratis hominibus ageretur, ſi quod quiſque pro ſuis viribus ingeniique conditione conatur, æqui bonique fieret, & ſi quid peccatur, quod hominum eſt, veritatis gratia, non contemnendi libidine, ab æquis rerum æſtimatoribus corrigeretur. Iſtuc ſane eſſet maxime optandum, probandum, laudandum; ſed neſcio quo fato, certe lugendo, ſedent in ſubſellio homines rerum arbitri, magno ſupercilio, tumidi, invidi, qui ſibi mirifice placent, qui hominem præ ſe ne-

neminem putant, omnia ſibi arrogant, pollicentur, qui arbitratu ſuo laudant, aſpernantur, probant, improbant non ea modo, quæ utcunque callent, ſed ea etiam, a quibus ſunt omnino imparati. Nimirum hi magni viri nihil mortale ſapiunt, & tanquam de cœlo lapſi uſque eo ſibi videntur ad objurgandum facti, ut credant alios, perinde ac ſi eſſent ſtipites atque trunci, ne hiſcere quidem contra poſſe. Sed vehementer eos ſententia fallit; ſiquidem, quemadmodum olim Cicero de religione dixit officii, qui ſibi hoc ſumſit, ut corrigat alios, ac peccata reprehendat, quis huic ignoſcat, ſi qua in re ipſe a veritate declinarit? Ita hercle de Litteris fit: nimis meditatus, paratus, inſtructus accedat oportet is, qui ſibi conſtituit præſtantium Scriptorum, atque adeo principum, inventorumque artis, quorum doctrina multorum ſæculorum memoria commendatur, relicta poſteris elucubrata opera carpere atque incendere invidia. Facile tamen, quamvis ſint ſatis a neceſſaria litterarum eruditione inopes, non deſunt homines, ita natura comparati, ut aggreſſi rem, quam nemo alius aggredi fas eſſe putaverit, famam & nomen ſibi comparare ſtudeant, haud ſecus, ac ille, qui dicitur templum Dianæ incendiſſe, ut ſuum immortalitati nomen commendaret. Enimvero non intelligunt id genus viri, qui tanta laudis cupiditate flagrant, ſtudium hoc in re non patranda collocatum non exiſtimationem parere; ſed ſtultitiæ inurere atque temeritatis notam nunquam delendam. Cadat ut poteſt res, nos ſumus, inquiunt, qui animis ſumtis præclaris, clavam Herculi extorquere poſſumus, & ſi uti ingenii acumine volumus, maculas & in ſole ipſo detegere. Ita nos natura finxit, & quod paucis largita eſt, *χειρωνακτέρως* fecit. Jam tandem eſt, cur dicam quinam ſit ille, qui *hyperſophiam* & *hypercriticam* tantam (ſic ipſe *ἑλληνίζων* latinis barbara immiſcet) jactet, & in regulas artis plura peccaſſe Euripidem oſtendere in ſe recipiat, & reapſe conetur. Qui Acta Eruditorum edita anno

1748.

1748. conſcripſit, meam Hecubam caſtigans, Euripidi ipſi non pepercit, ut ego, quemadmodum puto, gravate non ferrem, ſi me, qui minime ingenio & parum exercitatione valeo, minus humaniter exciperet. Sic itaque ὄχ' ἄριστος hic vir atque doctiſſimus Tragicum poſt natas Tragœdias tantopere celebrem tanquam artis imperitiſſimum carpere, traducere, atque emendare audet. Cum hæc ad me admodum ſero perveniſſent, ac perlegiſſem, quod ad me attinebat, parum commovebar animo; ſiquidem intelligebam id propterea factum, quod hæc mea Italica natio, hoc meæ vitæ inſtitutum, & non celebrata nominis fama, cum nihil me apud virum commendaret, tum plurimum officeret. Quapropter ſtatuebam nihil de me dicere, neque injurio homini reſpondere; quandoquidem iniqua ratione id a me repoſcebat, quod mei inſtituti non erat. Nimirum commentarium a me poſtulat, cujus conficiendi meum non fuit conſilium: codices a me flagitat, a quibus inquirendis, ſi uſpiam ſunt, & ſi mihi inquirere propoſuiſſem, mea in primis vitæ conditio, aliæque arcebant cauſſæ. Videbam, cum Italicum interpretem tantummodo agerem, nihil eſſe mihi de viro laborandum Italicæ linguæ imperito, qui mea ſiverit in ſua opella ita exſcripta corruptiſſime legi, *per un ſtolto compiacemento per li ſpettacori*, cum legendum ſit *per uno ſtolto compiacimento per gli ſpettatori*. Sed hæc mittamus, quæ σφάλματα fortaſſe Typographorum dicentur. Quoniam vero nolo quæ ad Euripidem ſpectant, præterire, & conflatam ipſi injuriam propulſare cupio, mihi ſe ſe offert occaſio de me etiam dicendi, quam libenter arripio, non quod apud noſtros, quos audio hujuſmodi viri judicia deſpicere, quidpiam detrimenti mea quædam parta nominis fama capere poſſit; ſed quod objurgator ferendus non ſit is, ut ait Cicero, qui quod in altero vitium reprehendit, in eo ipſe deprehendatur. Hac itaque univerſa ἀπολογία in duas partes tribu-

ta, prima de Euripide, de me vero altera dicam.

Ariſtarchus hic noſter Lipſienſis, cui mirifice Apollo Muſæque blandiuntur, decem peccata Euripidis in una Hecuba critico ſtilo ſeveriſſime caſtigat, aut, dicam verius, ſe caſtigare arbitratur. Singula ego ſingillatim primum exponam, deinde vindicabo. Verum antequam hoc facio, velim vos de ejus animi confidentia conjecturam ex eorum judicio faciatis, qui diu multumque in perlegendis Euripidis Tragœdiis, & quod ad τὴν κυριολογίαν, & quod ad τὸ πρέπον τῆς οἰκονομίας, & ut paucis rem totam complectar, quod ad omnia attinet, quæ ad rite recteque conſcribendas Tragœdias pertinere videntur, poſteritatis memoriæ de præſtantiſſimo noſtro Tragico commendarunt. Magnum quid ſtatim initio pono, oraculum ipſius Apollinis, quod etiamſi confictum ſit, maximam tamen comparatam ſibi apud homines nominis exiſtimationem in Euripide noſtro commonſtrat. Ὁ χρησμὸς, qui περὶ Εὐριπίδου legitur, hujuſmodi eſt.

Ἔσαι σοὶ κοῦρος, Μνησαρχίδη, ὅντινα πάντες
Ἄνθρωποι ἄσουσι· καὶ ἐς κλέος ἐσθλὸν ὀρούσει,
Καὶ στεφέων ἱερῶν γλυκερὴν χάριν ἀμφιβαλεῖται.

Te, Mneſarche, manet ſummus celebrandus honore
Filius, eximiæ qui ſcandet culmina laudis,
Et referet lætas ſacro ex certamine frondes.

Quid, malum, tanta laude cumulatur Poeta, ſi ſexcentis commaculatur, Lipſienſi teſte, erroribus, mendis, peccatis? Si tam imperite, inſulſe, incondite ſuas panxit Tragœdias? Socrates ipſe ridendus, qui ineptas Fabulas Euripidis uſque eo adamaret, ut, narrante Æliano, eo tempore duntaxat ſpectator Tragœdiarum eſſe vellet, quo ſuis certabat Euripides, quibus ſapientiſſimus Socrates mirum in modum delectabatur, atque Tragicum ipſum plurimi æſtimare ac laudare ſolebat. Inſipiens Demoſthenes, qui tantum Euripidi honorem deferebat, ut illum non ſemel, ſed iterum ſæpiuſque legeret, ſuaque deſcriberet manu perinde ac Thucydidem,

dem, quo magis eximii Tragici dicendi artem veluti in ſuccum & ſanguinem ſuum converteret, miramque ſollertiam aſſequeretur. Quid Cicero? is quoque bardus & fungus, cui in deliciis erat Euripides, qui eum aſſidue lectitabat, volvebat, alteri commendabat. Quid Crantor, qui Platonis auditor fuiſſe perhibetur, inſipientiæ ipſe etiam eſt inſimulandus, quippe qui de Euripide magnifice ſentiens mirificis eum laudibus extulerit, ut refert Laertius in Crantore, quo loco hæc verba leguntur: *Operoſum quidem eſſe & induſtriæ plenum, proprietate ſervata, tragice ſimul & cum affectu miſericordiæ ſcribere, id quod ipſum Euripidem præſtitiſſe ajebat*. Mirum plane eſt, Crantorem adeo præſtantis ſollertiſque ingenii virum, uſque eo fuiſſe neſcium & imperitum, ut eam, quam vehementer impugnat Lipſienſis, Tragicam οἰκονομίαν laudaret, quæ nulla erat. Sed pergamus porro. Dion Chryſoſtomus, ſi quis alius, in lectione Euripidis aſſiduus, & in ejus Tragœdiis perpendendis diligens tantopere eſt Poetam admiratus, ut in tanti Tragici commendationem maximam dicere non dubitaverit, οὐδὲν ἄπιστον, ἢ παρημελημένον, h. e. *nihil improbabile, nihil negligenter ſcriptum in eo reperiri*. Quid nihil? omnia prope improbabilia ſunt, negligenter omnia ſcripta. Decem in una Hecuba σφάλματα detegit Lipſienſis, audacterque reprehendit. Quid quæris? Liber, liber eſt edendus, aut editus eſt, quo Lipſienſis alius, neſcio quis, alter certe Apollo, non modo Euripidis, ſed Sophoclis, ſed Ariſtophanis peccata artis, quam profitebantur, plurima atque enormia eſt oſtenſurus, emendaturus. Sic quidem promittit Lipſienſis hic noſter, de quo loquor. Quid iſtuc eſt rei? Tantopere ne veteres illi, qui principes artis & inventores dicuntur & habentur, qui tot ſæculorum memoria veluti artis magiſtri præcipue commendantur, deſipuerunt, peccarunt? Peccaſſe profecto, peccaſſe videntur viris quibuſdam, qui doctrinam jactitant, & carent; qui ſibi vindi-

cant Critices laudem, & nullam ferme habent; qui de aliorum operibus judicaturi arbitri ſedent, & nullam fere æqui iniqui, veri falſique habent rationem; qui jus omne & officium pervertunt; qui tandem ſæpenumero rem, de qua dicunt & judicant, aut leviter, aut minime tenent. Fuere olim, qui in aliquibus παρὰ πρέπον peccaviſſe Euripidem dixerunt; ſed fuere etiam qui patrocinio viri ſuſcepto, eum ab invidia liberarunt. Sic Ariſtoteles dicam impingit Tragico & damnat, ἀπρεπῆ ῥῆσιν ἢ μὴ ἁρμόττουσαν appellando illam, qua Melanippe, vel Menalippe, utitur in Tragœdia hujus nominis deperdita tanquam mulier σοφὴ, quemadmodum ab Euripide inducitur. At Dionyſius Halicarnaſſeus Tragicum adverſus Ariſtotelem tuetur, oſtenditque præclare, etiamſi mulierem hanc philoſophantem induxerit, id tamen vitio non eſſe vertendum Poetæ, quia, ait, τοιαύτης μητρός ἐστιν, ἵνα μὴ ἀπίθανος ᾖ ἡ φιλοσοφία. Præterea, inquit Dionyſius, nihil παρὰ πρέπον eſt, quia ἡ Μελανίππη ἐπαιδεύθη ὑπὸ τοῦ Ποσειδῶνος. Quare cum Deum habuerit magiſtrum, mirum non eſt, ſi philoſophetur mulier. Hinc perſpecte ipſe animadvertit, duplex σχῆμα ἐν τῷ Δράματι fuiſſe, τὸ μὲν τοῦ Ποιητοῦ· τὸ δὲ τοῦ προσώπου τῆς Μελανίππης. De qua re ſumus etiam locuti in Euripidis vita. Aliquando ipſe Poeta ſub perſona quadam, ut rem indicet, quam indicandam ſibi propoſuit, loquitur. Interdum enim patriæ, nonnunquam Anaxagoræ magiſtri ſui, ut in Menalippe, laudes commemorare conſuevit Noſter. Quod ſi rite recteque animadvertatur, fieri facile poteſt, ut in eo, in quo erraſſe creditur Poeta, minime peccaſſe deprehendatur, ut nos identidem in Tragœdiis Euripidis, critica ratione, velit nolit Lipſienſis, clare ſatis demonſtravimus. Theon ille quoque Sophiſta inique notavit Euripidem eo quod in Troad. Hecuba ver. 681. παρὰ καιρὸν, ut ipſe ajebat, φιλοσοφεῖ, neſcius imprudens vir, Tragicum noſtrum, qui Moralis Philoſophiæ mirifico ſtudio tenebatur, ut in-

inſereret animis vitæ inſtituendæ præcepta, omnem dediſſe operam. Quapropter mulierem philoſophantem inducit, quod non dedecet, præcipue reginam. Ac ſtatim quidem, ne inconſulte ſcripſiſſe videretur Poeta, & τοῦ πρέποντος oblitus, inducit Hecubam ita loquentem, Αὐτὴ μὲν οὕτω ναὸς εἰσέβην σκάφος, &c. Quo loco vide quæ nos fuſius annotavimus. Plura ſunt id genus, quæ facillime explicantur, ſi mens atque inſtitutum Tragici penitius inveſtigetur atque inſpiciatur. Rideret mehercule, ſi viveret Noſter, ſed in ſtomacho; atque adeo vehementer indignatione commoveretur adverſus obtrectatores ſuos, & perſona capta magiſtri, qua magna Athenis auctoritate pollebat, eos ita increparet, ſe docendi cauſſa ſcripſiſſe Tragœdias, neque ſe redarguentem pati. Sic olim palam Athenienſibus dixiſſe novimus, ut in ejus vita enarravimus. Atque ſane Tragici eo conſilio ſcribere conſueverunt, ut mores hominum ad pie ſancteque vivendum inſtituerent. Hæc enim erat eorum θεολογία, qua ſic belle populi ad religionis & ſocietatis officia erudiebantur. Mores namque effingendo in alienis perſonis expreſſam imaginem vitæ quotidianæ videbant, ut locutus eſt perinde prope Cicero pro Sexto Roſcio Amerino, & ſuam vivendi rationem ad id, quod erat rectius exemplar conformabant. Hoc unum Tragici urgebant maxime, hoc in primis curæ erat, in eo ſtudium omne & diligentiam collocabant, & modo docerent, res indicabant, præque oculis ſpectatorum ponebant veriſimilitudine quadam, qua contenti Auditores mente ſatis aſſequebantur, quid ſibi vellet Poeta. Eodem hercle pacto atque Pictores ſolent, qui, cum ſit ipſis ingens militum numerus, ſive exercitus exhibendus, milites nonnullos in extrema parte pingunt, & ceterorum ſpeciem ſpectatoribus ſibi informandam relinquunt. Si hæc & alia, quæ paullo ante attigimus ſedulo quidam recogitarent, non dubito, quin Euripidem nihil imperitiæ accuſarent; ſed æqua

uſi animadverſione quod res eſt viderent atque judicarent. Verum contra fit, ut, cum nihil diligenter conſiderent, Tragicus obtrectatores quoſdam ſit nactus minime æquos. Mitto ex veteribus Ariſtophanem, & Agathonem Comicos, apud quos male audiviſſe Euripidem ſcimus, publica quadam vel æmulatione vel ſimultate; qui tamen conviciis aliis inceſſere illum conſueverunt; at non ea artis vitia in eo reprehendere poterant, quibus & ipſi ex Lipſienſi noſtro erant obſtricti. Quid de Euripide ſenſerit eſt unus audiendus Ariſtoteles, qui Poeticam ſcripſit. Qui præcellens ſcriptor quanam ſit ratione intelligendus, alius eſt nobis conſtitutus dicendi locus. Alios tandem prætereo, qui conſecutis deinde temporibus modeſte quædam & veritatis inquirendæ gratia, in Euripidem annotarunt, quæ noſtrum fuit in Tragœdiis ipſis, ubi ſe occaſio dedit, explicare. His igitur miſſis, nunc ad Lipiſienſem venio, ad quem me jampridem vocat oratio. Decem, ut monui, Euripidis menda in una Hecuba contra regulas artis animadvertit Vir ſollertiſſimus, quem equidem ego vehementer ſuſpicio, & ei muſiſque ejus gratulor; ſiquidem tam mirifice ſapit. Quod igitur ſapiat, non invideo; ſed quod laudem Euripidi meo injuſtiſſime eripere velit, hoc mihi nec leviter ferendum, neque negligenter impugnandum eſſe puto, non propterea quidem, quia creare aliis invidiam delecter; ſed ut vetuſtiſſimo Tragico, & quod caput eſt, ſuus ſtet veritati honos. Criticen itaque hanc tuam præclaram, o Lipſienſis mi ſapientiſſime, audiamus.

Primum, inquis, *quod peccavit Euripides in Hecuba eſt non obſervata unitas loci. Scena ipſi ſimul in Europa & Aſia eſt. Horrendum dictu! quantus hiatus!* Deſine, quæſo, deſine tantopere exclamare, diſrumperis medius Fidius: res eſt plana, ut mox videbis, neque tantæ ſunt turbæ movendæ. *Quando vero multi*, pergis, *tam indignam, tam fœdam Poetæ adfrictam non patientur notam, faciemus verbis noſtris fidem* ἀφύκτοις ἐλέγχοις.

χοις. Polydorus in *Prologo ſe ſtare & loqui ait ἐν γῇ τῇδε χεῤῥονησίᾳ in hac terra-Cherſoneſica; & paullo poſt ἐπ' ἀκταῖς τῆσδε Θρῃκίης χθονὸς in littore Thraciæ hujus regionis. Concedent nobis, quod ſperamus, omnes, hanc Cherſoneſum Thracicam vulgo ſic dictam peninſulam ad Helleſpontum eſſe; & pronomen ὅδε* hæc *notare ſolum & tractum, in quo quis actutum ἐν τῷ παρόντι, exiſtit. Hoc ſolum conceſſum nobis volumus, neque aliud; neque tantum id concedi poteſt, ſed neceſſario debet, neque aliter poteſt. Jam ſi ὅδε notat illud, quod diximus, non poteſt aliud notare, & contrarium id quidem. Atqui paullo poſt ſcenam videas in campo Trojano apertam ver.* 325. *ὧν ὅδε κεῦθει σώματ' Ἰδαία κόνις, quorum cæſorum corpora tegit hic Idæus pulvis. Si dicas, vocem ὅδε hic loci notare* illa, *quaſi perſona loquens* exerto *digito verſus Aſiam monſtraret, exempla erunt ejus rei alleganda, quæ nuſquam ſunt.* Hæc tu, in quibus video fluctus tanquam in ſimpulo excitari ſatis inſulſo dicendi ſtilo. Ex ipſo argumento Fabulæ habemus, ſcenam ſitam eſſe in Cherſoneſo, quæ a finitima continente Thracia dicitur, ubi Polymneſtor Rex Thraciæ regnabat. Quare Τπόθεσις Ἑκάβης hæc habet, *ἡ μὲν σκηνὴ τοῦ δράματος ὑπόκειται ἐν τῇ ἀντιπέραν τῆς Θρᾴκης χεῤῥονήσῳ*. Hinc Tragicus dixit *ἐπ' ἀκταῖς τῆσδε Θρῃκίης χθονός*. Troja non immani hiatu a Cherſoneſo Thracia diſtat. Sita enim eſt e regione Helleſponti haud valde procul a littore, quamvis in Aſia ſit. *Horrendum dictu*! clamitas, o Lipſienſis; *quantus hiatus!* Quid? nonne duo loca, quorum alter in Europa ſit, alter in Aſia, parum a ſe invicem remota eſſe poſſunt? Abydus in Europa eſt, & Seſtos in Aſia ad Helleſpontum, & tamen tanti hiatus non ſunt, quin Xerxes utranque urbem, ſeu arcem, ponte conjunxerit. Sed hæc obiter. Ad rem propius accedamus. Tantum Euripidis mendum ex una fit voce ὅδε: ſiquidem, cum ſcena fit in Cherſoneſo, Trojana pulvis indicatur pronomine ὅδε, h. e. *hæc*, qua locus, in quo quiſque loquitur, ſic

te

te volente, indicatur. Quocirca, ſi ego ſemel ea, quæ per te nuſquam ſunt, exempla proferam, quibus patefaciam, vocem hanc & de re procul poſita dici, atque idem aliquando ſignificare, ac *ipſa*, vel *illa*, de hac tua mirifica Critica conclamatum eſt. Agedum videamus. Gregorius Nazianzenus hæc habet: νῦν μὲν τῇδε, νῦν δὲ τῇδε ἐνεργεῖν, h. e. *Nunc hic*, *nunc illic agere*, vel *nunc hoc*, *nunc illo modo*. Clariora poſtulas? Clariora dabo. Demoſthenes pro Cor. διόπερ ταῦτ' ἔγραφεν ὁδὶ περὶ ἐμοῦ. Dicitur ὁδὶ Attice pro ὅδε, & ſic latine redditur, *quare hæc ille ſcripſit de me*. Sic etiam interpretatur ὁδὶ Vigerus. Apollonius Rhodius, ἥδ' ἐγὼ, ἣ πάτρην τε καὶ οὓς ὤλεσσα τοκῆας, h. e. *Illa ego*, *quæ & patriam amiſi & parentes meos*. Accipe alia. Homerus lib. 1. ver. 127. Ἀλλὰ σὺ μὲν νῦν τήνδε θεῷ πρόες, h. e. *Sed tu quidem nunc hanc Deo permitte*. Achilles dixit de Chryſeide τήνδε, quæ præſens non erat, neque in loco, in quo ipſe loquebatur; ſed apud naves Græcorum. Et ſic deinde ver. 134. Lege loca, & rem clare videbis. Alia plura ſunt ejuſdemmodi apud ipſum Homerum. Iliad. 5. Ἠὲ σὺ τόνδε δέδεξο, μελήσουσιν δ' ἐμοὶ ἵπποι, h. e. *Vel tu hunc excipe*; *curæ erunt autem mihi equi*. Æneas, qui apud ſuos erat, loquitur de Diomede, qui in acie Græcorum ſtabat. Idem igitur eſt, ac ſi dixiſſet, *Tu illum excipe*. Perinde Hector lib. 8. Iliad. dixit τάδε τείχεα de munitionibus, quæ non erant apud ſuos; ſed apud Græcos. Viſne porro τόνδε ex eodem Homero pro ἐκεῖνον? Habes lib. 2. Iliad. ver. 189.

Ὅντινα μὲν βασιλῆα καὶ ἔξοχον ἄνδρα κιχείη
Τὸνδ' ἀγανοῖς ἐπέεσσιν ἐρητύσασκε παραστάς.

Quemcunque autem Regem & præſtantem virum
invenit,
Illum blandis verbis detinebat aſtans.

Præterea lib. 7. Iliad. ver. 451. ita legitur

Τοῦ δ' ἤτοι κλέος ἔσται ὅσον τ' ἐπικίδναται ἠώς.
Τοῦ δ' ἐπιλήσονται.......

Il-

Illius profecto gloria erit quantum ſpargitur aurora;
Hujus autem obliviſcentur......

Quid clarius, ut pateſiat τῦδε, τόνδε ſignificare *illius*, *illum*, aut *ipſum*? Exemplum tandem ex ipſomet Euripide affero, quo fit admodum planum certumque ὅδε de viro abſenti pro *ipſe* uſurpaviſſe. Heracl. ver. 793.

Ο' μὲν γέρων ὐκ ἔστιν Ι'όλεως ὅδε;

Loquitur Alcmene de Jolao, qui abſens erat in acie, interrogatque Nuncium, qui ex acie venerat, num Jolaus viveret. Sic belle in re noſtra ἥδε κεύθει σώματ' Ι'δαία κόνις explicari poteſt, *hic*, vel *ille*, vel *ipſe* Trojanus pulvis tegit corpora. Si vellem, ſexcenta hujuſmodi exempla in medium afferre poſſem. Videſne modo falſum illud tuum, *quæ nuſquam erunt?* Quid? ſi græce intelligis, nonne in pronomine ὅδε, ἥδε, τόδε, τὸ δὲ encliticum eſt, ut Græci vocant, quod perinde παρέλκει, ac in τόσονδε, & in ſimilibus, excepto eo, quod ex uſu linguæ pronomen ὅδε rem præſentem commonſtrat, abſentem aliquando, ut apud nos Italos *queſto*, & ſi de re abſenti rectius loqui volumus *coteſto*? Hinc ait Barneſius in ver. 528. Heracl. δέμας τόδε, vel σῶμα τόδε *poteſt aliquis uſurpare vel de ſeipſo, vel de quovis alio, quem digito notat*. Exempla tenes, & rem probe explicatam. Nihilo tamen ſecius, ut confidentis eſt, novos animos ſumis, & dicere pergis: *Et vel eo facto* (h. e. allatis exemplis) *nihilo tamen minus manebit Euripides* ἀκυρολόγος *voces eaſdem modo hoc modo illo ſenſu acceptans; ille Euripides, cujus* κυριολογίαν *tantopere Quintilianus extulit*. Quæ te ἀβλεψία tenet, o nunquam ſatis laudande Ariſtarche! Siccine deciperis? Homerus, Demoſthenes, ſexcenti cum Euripide ἀκυρολόγοι erunt; ſiquidem hocce pronomine modo hac, modo illa ſignificatione utuntur, ſi exempla, quod debes, concedis. Quid vero? ἀκυριολογία eſt eandem vocem varia ſignificatione donatam uſurpare? Α'κυρολόγοι igitur Hebræi, apud quos unum idemque verbum non modo varia ſignificat;

cat; ſed aliquando etiam contraria, ut ſi opus eſſet, exemplis pluribus oſtenderem. Α'κυρολόγοι Latini, qui virum bonum appellant illum, qui probus eſt, & illum, qui leviter ſapit, ut ſi te, o bone, hoc nomine appellem, ſicut etiam Græci dicunt, *ὦ ἀγαθέ*. Parce joco; de te enim cetera magnifice ſentio; ſed in his, ingenue fateor, nequeo tuæ doctrinæ acquieſcere. Nam pro hac tua tanta eruditione noviſti, apud Latinos, *longum* & ad ſtaturam hominis ſignificandam quadrare, & pro homine *fatuo*, & *ſtolido* ſumi. Sed quid ego tibi plura commemoro ſcienti omnia ſcientiſſime? Addis præterea: *Tentare ſi velis, & corrumpere illud ἤδε hic loci, tanquam corruptum, afferemus aliud, quod eſſe ſcenam in campis Trojanis evincit ulterius, nempe ratiocinationem Agamemnonis ver.* IIII. *ubi ait: Potuiſſet hic a Polymneſtore excitatus tumultus terrorem nobis incuſſiſſe putantibus, Trojanos ad caſtrorum portas adeſſe πανσυδεὶ, niſi conſcii nobis exciſæ Trojæ fuiſſemus. Quod ratiocinium, ſi ſcena collocetur in Cherſoneſo Thracica, prorſus ineptum eſt.* Imo vero contra, o mi Lipſienſis, inepte dixiſſet Agamemnon, ſi ita non dixiſſet. Nam Polymneſtor in Cherſoneſo Thracia certiſſime erat, cum hujuſmodi tumultum edidit. Non enim Polymneſtor ivit in Trojanam terram, ut adiret Hecubam; ſed Hecuba cum Græcis in Cherſoneſum Thraciam venit, ut ex ipſis verbis Regis Thraciæ compertum ſit, ver. *963*.

..... *τυγχάνω γὰρ ἐν μέσοις Θρῄκης ὅροις*
Α'πὼν, ὅτ' ἦλθες δεῦρ'...........

.... perocchè là della Tracia
In mezzo de' confini era lontano
Quando ſei giunta qui..........

Qui igitur Rex Thraciæ dicere potuiſſet, ὅτ' ἦλθες δεῦρ', ſi Hecuba in Trojana terra fuiſſet? Porro ut alias annotavimus, nonne Agamemnon aperte dicit de Polymneſtore, *qui hac in regione imperium tenet*? Tuo te gladio jugulas, ornatiſſime mi vir, quia ea affers,

quæ

quæ opinionem tuam omnino peſſundant. Hinc belle dixit Agamemnon, *timorem nobis incuſſiſſet iſtic tumultus*, *niſi conſcii fuiſſemus cecidiſſe Trojam*, veriti ne nos ex Troja profecti hoſtes ad caſtra hoc loco poſita inſequerentur. Sed his miſſis, reliqua perſequamur, & quæ potiora ſunt. *Sed quod*, ais, *nodum dirimit uno ictu*, *ſedatque æſtum omnem*, & *clare vincit*, *ſcenam in Campis Trojanis eſſe*, *id eſt ver.* 522. *ubi præco dicit*, *Polyxenam ad ſepulcrum Achillis cæſam fuiſſe præſente toto Græco exercitu*. *Atqui non in Cherſoneſo vel Europa ſepultus erat Achilles*; *ſed in Sigæo apud Trojam*. *Incruſtare quidem hoc laborat Italus ad eum locum ſic notans*........ *dicitur pro* τύμβυ Ἀχιλλέως, *quia Græci in Cherſoneſo* κενοτάφιον *conſtruxere*. *Sed hoc nihil eſt*, *niſi* πτερυγίζειν. Quid, amabo, tibi tam facile polliceris, te uno tandem ictu omnem præcidiſſe nodum? Meditatus ne, ſciens, prudenſque hoc dicis? Nihil minus, ut deinceps planum compertumque fiet. Achilles fuit quidem in Sigæo ſepultus; atque propterea ad eum locum annotare ego minime dubitavi, Græcos κενοτάφιον conſtruxiſſe. Hinc me Italum veluti probri cauſſa nominas, & πτερυγίζειν ais. Italus mehercule ſum, & mihi gaudeo eſſe; ſiquidem Itali optimo cœlo & fauſto ſidere nati a majoribus ſuis tanquam per manus traditam ſcientiarum, bonarum artium, ac litterarum omnium lautam ſupellectilem veluti hæreditate acquiſitam tenent, bonoque parto fruuntur, deque litteris optime mereri ſtudent, & qui privatim ſtudiis ſuis vacant, & qui juſſu publico in florentiſſimis Academiis, atque inter ceteras (facile concedente quavis) in hac Patavina noſtra, in qua ego cum ſim, & collegas habeam præſtantiſſimos, & fama nominis mirifice celebratos, tanquam honoris tanti quodammodo particeps, a te humanius eram excipiendus; ſiquidem videtur magnis nominibus, quandoquidem plura & laudanda ediderint, ſi quid etiam aliquando peccaſſent (quis enim non peccat unquam?) par-

parcendum. Sed quo ego, juſto hoc quidem, at ab animo meo, quem pacatum natura dedit, alieno æſtu abripior? Ita fit, ut mihi ſæpe temperem, & quædam aliquando concoquere nequeam. Sed, his miſſis, a diverticulo in viam revertamur. Nugari me, fruſtraque conari putas, quod κενοτάφιον commemorarim? Scilicet nihil legiſti, & quicquid in buccam blateras. Ego equidem dixi κενοτάφιον conſtruxiſſe Græcos & auctoritate ſatis & ratione fretus. Reor, te mihi facile eſſe conceſſurum, in Græcis litteris, & in Euripidis lectione Scholiaſtem fuiſſe admodum verſatum, & longe magis quam te, quicquid tibi ſumas, Græcæ linguæ fuiſſe peritum. Scholiaſtes itaque ad hæc Euripidis verba πρὸ τύμβου, &c. ſic annotat: πῶς τοῦ Ἀχιλλέως ἐν Τροίᾳ ταφέντος, ὁ Ταλθύβιος λέγει, πρὸ τύμβου τοῦ Ἀχιλλέως ἱστᾶσθαι τοὺς Ἕλληνας ὄντας ἐν χεῤῥονήσῳ; καὶ φαμὲν, ὅτι ἢ κενοτάφιον ἐν χεῤῥονήσῳ ἐποίησαν, ἢ εἰς Τροίαν ἀπῆλθον, καὶ ἔθυσαν τὴν κόρην, h. e. *Qui, cum fuerit Achilles in Troja ſepultus, dicit Talthybius, Græcos ad ſepulcrum Achillis ſtetiſſe, qui in Cherſoneſo erant; Dicimus igitur vel cenotaphium in Cherſoneſo feciſſe, vel in Trojanum ſolum rediiſſe, & puellam immolaſſe.* Videſne Scholiaſtem, eamdem, ac tu modo, difficultatem ſibi propoſuiſſe, eamque probe diluiſſe, nihil omnino de mendo Euripidis ſuſpicatum? Exiſtimavit & ipſe, Græcos κενοτάφιον conſtruxiſſe, quod etiam in argumento hujuſce Fabulæ legitur his verbis: Μετὰ τὴν Τροίας ἅλωσιν οἱ Ἕλληνες καθωρμίσθησαν ἐν τῇ ἀντιπέραν χεῤῥονήσῳ τῆς θρᾴκης, ἧς Πολυμήστωρ ἦρχεν· οὗ δὴ καὶ κενοτάφιον εἶχωσαν Ἀχιλλεῖ ἐν Τροίᾳ ταφέντι, h. e. *Capta Troja, cum inde ſolviſſent Græci, in Cherſoneſum, quæ eſt e regione Thraciæ appulerunt, ubi Polymneſtor regnabat; ubi etiam honorarium tumulum extruebant Achilli, licet fuerit in Troja ſepultus.* Hinc etiam P. Brumoy, qui tantum operæ, induſtriæ, & diligentiæ in recenſendis, explicandis, illuſtrandis Tragœdiis Euripidis collocavit, τοῦ κενοταφίου mentionem fecit, nec peccatum ullum

Tra-

Tragico affingendum putavit. En verba: *L' ombre de ce Heros s' apparut a eux ſur le tombeau vuide qu' on lui avoit dreſsè, & declara a l' armèe Greque, que ſi elle vouloit ſortir heureuſement de la Cherſoneſe, il falloit lui donner Polyxene*. Gratulor ego mihi, quod inter me, & alios præſtantes viros, eruditione & Græcis litteris inſigniter præditos de *cenotaphio* convenerit. Ex quo fit, ut non videar ſine auctoritate locutus. Porro & ratio ipſa favet mihi. Miror equidem, valdeque miror, te nihil de *cenotaphiis* noviſſe. Improbabile ne, aut inuſitatum Veteribus videtur tibi *cenotaphium*, quod *honorarium ſepulcrum* appellat Suetonius in Claudio? Ubinam eſt Critice illa tua, ubi illa eruditio tanta, qua te magnopere diligis, & magnifice circumſpicis? Utinam Dii faxint, ut nunquam ego is Criticus ſim qui tu es, me tanquam non Criticum carpens! Lege *cenotaphium* Hectoris a Virgilio lib. 3. Æneid. venuſte ſic deſcriptum:

Solemnes tum forte dapes & triſtia dona
Ante urbem in luco falſi Simoentis ad undam
Libabat cineri Andromache, maneſque vocabat
Hectoreum ad tumulum, &c.

Quo loco Servius annotat *ad tumulum* h. e. ad *cenotaphion*. Animadverte, dixiſſe Poetam *falſi Simoentis ad undam*, quia, ut mulier litaret manibus Hectoris conſtruxerat illius *cenotaphium*, perinde atque ſi in Trojano ſolo fuiſſet. Quidni igitur idem poterant Græci in Cherſoneſo facere, ſi id fieri conſueverat? Viſne alterum *cenotaphium* a Græcis conſtructum? Narrat Homerus lib. 4. Odyſſ. ver. 582. Menelaum, poſtquam ad Ægyptum ſacras fecit Hecatombas, in honorem atque decus fratris Agamemnonis honorarium tumulum h. e. κενοτάφιον erexiſſe, cum mortem Fratris ex Proteo reſciverit. Verba Homeri ſunt hujuſmodi.

Αὐτὰρ ἐπεὶ κατέπαυσα θεῶν χόλον αἰὲν ἐόντων
Χεῦ' Ἀγαμέμνονι τύμβον, ἵν' ἄσβεστον κλέος εἴη,

Ceterum, poſtquam ſedavi iram Deorum immortalium,

Conſtruxi Agamemnoni ſepulcrum, ut immenſa gloria eſſet.

Hinc χῶσαι τύμβον, ut H. Stephanus docet, eſt τύμβον χῶσαι. Habes & Agamemnonis *cenotaphium* a Græcis poſitum. Ad quem Homeri locum ita differit Spondanus: *Solebant mortuos hoc honore poſt fata proſequi, nimirum ſepulcro imaginario, (quem honorarium tumulum appellat Suetonius) quod ſe Fratri conſtituiſſe dicit Menelaus, ut illius gloriam illuſtriorem efficeret.* Quid plura? ipſe etiam, ipſe Euripides commemorat cenotaphium in Helen. ver. 1562.

Οὐ Τυνδαρὶς παῖς ἥδ' ἀπόντα κενοταφεῖ.

Et perinde ante τοῦ κενοταφίου mentionem facit. Fićte quidem de cenotaphio, ut Filio Protei verba daret, Helena loquebatur; ſed tamen morem indicabat Græcorum. Quæ cum ita ſint, neminem unum præter te eſſe putem, qui non intelligat, imperite non eſſe conjećtum, Græcos in Cherſoneſo conſtruxiſſe Achilli honorarium ſepulcrum, h. e. κενοτάφιον. Quare non erat, tota prope antiquitate ignorata, cur diceres: *Donemus aliquid precariæ huic excuſationi: demus, Polyxenam apud fićtum illud cenotaphium, quod Grammaticaſtros in ſuo cerebro condere jubebat ipſorum perplexitas, occubuiſſe.* Sed audiamus propterea, quæ continuo ſubnećtis: *quomodo tamen*, inquis, *poterant Græci in ſolo Europeo ultra mare interjećtum, ultra viginti & plura forte ſtadia, videre ſpećtrum Achillis ſuo ſepulcro inſiſtens, & ejus audire præcepta?* Hæc tu; ad hæc nos: Si cenotaphium conceditur iccirco efformatum, ut illud verum exhiberet, facile etiam intelligimus, Achillem ad eum apparuiſſe minitantem, Græcos illinc non abituros, niſi prius Polyxenam immolaſſent. Hoc quidem affirmat P. Brumoy, cujus verba paullo ante retulimus: *l' ombre de ce Heros s' apparut a eux ſur le tombeau vuide, qu' on lui avoit dreſſè, & declara à l' armèe, &c.* Hoc idem ex ipſo argumento Fabulæ eruitur, ubi ita legitur: διατρίψαντες δὲ ἐκεῖ ἡμέρας δή τινας,

τινας, ἐφ' ᾧ τὰ αὐτῶν εὖ διαθήσονται, ἐπεὶ ἀναχθήσεσθαι ἔμελλον, φανὲν τὸ τοῦ Ἀχιλλέως εἴδωλον ἐπὶ τοῦ τάφου, ἐπέσχε, &c. h. e. *Cum eſſent illic* (in Cherſoneſo) *dies aliquot rerum ſuarum ordinandarum cauſſa commorati, & jam eſſent e portu ſoluturi, Achillis umbra ſuper tumulum apparuit, atque cohibuit, ne &c.* Non igitur in Sigæo haſce Achillis minas audiverant Græci; ſed in Cherſoneſo, unde, cum adverſus flaret ventus, ſic volentibus Diis, non erant abituri, niſi victimam poſtulatam darent. At tu, præſtantiſſime mi Vir, Critice nunquam ſatis celebrande, ſubinde ais: *Quare non potiùs, ſi erant in Europa, tranſvehebant victimam ad verum ſepulcrum, quæ brevis temporis jactura & labor fuerat? Quare non vetabat Achilles, ſi tantum valebat, ventos inhibendo, vel Helleſpontum Græcos trajicere? Certe magis conſuluiſſet honori ſuo, & ſatis ſuæ iræ feciſſet, ſi, quod facillime potuerat efficere, victimam coegiſſet apud verum ſuum ſepulcrum cadere. Cui enim bono inſontem ſanguinem flagitabat ſævus heros, niſi, ut eum, quemadmodum Poetæ de umbris tradunt, biberet? Atqui ex eorundem opinione mortuorum animæ ſepulcris, non vacuis, ſed iis, quibus cadavera condita jacent, quaſi alligatæ obverſantur. Unde clare patet, piaculum hoc ſi ceciderit in Europa, neque placando Achilli ſuffecturum, neque Græcis quidquam profuturum fuiſſe.* Satis ne nugarum? perpetuo falleris. Immo longe ſatius videtur Achilles honori ſuo conſuluiſſe, quippe & proprium verumque ſepulchrum, & honorarium obtinuerit, atque hinc decora & ornamenta ſepulcralia, quibus mirum in modum delectabantur Veteres, auxerit; non ſecus, ac Agamemnon a Menelao fratre, & Hector ab uxore Andromache, volentibus Diis, *cenotaphium habuerunt*, ἵν' ἄσβεστον κλέος εἴη, *ut immortalis gloria eſſet*, ut Homerus de Agamemnone ſcribit. Falleris item, non ſedulo perſpecta re, dicens, *umbras ſepulcris non vacuis non obverſari.* O quam inops, Dii boni, ab eruditione videris! Ni-

 hil

hil erat prope, tempore etiam Homeri, opinione vulgatius, quam mortuos apparere, ubicunque evocarentur ab illis, qui arti *νεκρομαντείᾳ* propterea appellatæ, erant addicti. De qua re diximus latius in Hiſtoria noſtra morum. Ut autem hæc probe intelligas, velim animadvertas, hoc Euripidis loco dici *εἴδωλον Ἀχιλλέως*, h. e. ut Latini dicunt, *ſimulacrum*, *imago*, *umbra*. Quæ umbræ vagabantur; ſiquidem nec anima, nec corpus mortui erant; ſed quid medium inter animam & corpus, quod Græci appellant *εἴδωλον*. Quod *εἴδωλον*, ſeu umbra ubique apparebat. Hinc Ulyſſes Herculis umbram apud Elyſios vidiſſe dicitur eodem tempore, ac Hercules ipſe cum Diis immortalibus in cœlo, Hebe ducta uxore, narrante Fabula, erat. De his umbris, quæ per Elyſios vagabantur, & apparere ſolebant, habemus rem apud Homerum luculenter narratam lib. 23. Iliad. ver. 70. quo loco umbra Patrocli ab Achille petit, ut quam citiſſime ſepultura donetur; propterea quod defunctorum umbræ ei impedimento ſunt, ne Plutonis portas ingrediatur. Verba umbræ Patrocli hæc ſunt:

> *Θάπτε με ὅττι τάχιστα, πύλας Ἀΐδαο περήσω,*
> *Τῆλέ με εἴργουσι ψυχαὶ, εἴδωλα καμόντων,*
> *Οὐδέ με πῶς μίσγεσθαι ὑπὲρ ποταμοῖο ἐῶσιν*
> Sepeli me quam citiſſime, portas Plutonis ut intrem,
> Longe me abigunt animæ, umbræ defunctorum:
> Neque me aliquo modo miſceri aliis trans flumen ſinunt.

Habes de umbris *τῶν καμόντων* quid ſentiendum ſit, & quam imperite dixeris, *umbras mortuorum ſepulcris tantummodo iis, quibus conditæ jacent, obverſari*. Quare intellige ex his, ſi cupis aliquando ſapere, quantum dedeceat virum, qui de aliorum operibus ſententias fert, in tanta rerum ignoratione verſari. Qui ſcribit, ut lubet ſcribit ſua conjectura uſus; qui autem id ſibi vindicat, ut judicet alios, quam peritiſſime judicet oportet; alioquin tanquam ineptiſſimus ridetur. Hoc

ego convicii cauſſa non dico; ſed ut tibi tute conſulas. Porro ſi iſtuc etiam noviſſe cupis, cur Achilles puellæ ſanguinem efflagitaret, iccirco factum eſt, quia fuerit a Paride in templo Apollinis dolo malo, & per inſidias interemtus, hoc eſt, ſpecie celebrandi cum Polyxena nuptias. Quod tamen facinus in puellam inſontem patratum præterire voluit Homerus, teſte Pauſania in Atticis. Hactenus, o præſtantiſſime vir, omnia, quæ in Euripidem primo loco congeſſiſti, ſunt expoſita, expenſa, exploſa. Nequeo profecto mirari ſatis, cur tibi in mentem venerit, Tragicum noſtrum hac infamia notare, quaſi neſcierit loci unitatem tenere. Quod σφάλμα fuiſſet ſane hominis inſulſiſſimi. Inſulſiſſimum autem tantum virum te exiſtimare non credam. Enimvero nuſquam leges, Athenienſes, apud quos quindecim Tragœdiis, ut teſtantur peritiores Critici, vicit Noſter, quæſtos unquam fuiſſe, quod rem improbabilem exhibuerit; quemadmodum contra, ob ſententiam quandam, quæ diſplicebat, adverſus Tragicum conclamaſſe populum legimus. Satis de primo Euripidis mendo. Cetera enim, quæ addis, ſunt mittenda; ſiquidem non eſt opus vel Cherſoneſum aliam comminiſci, vel vocem χεῤῥόνησος pro voce ἀκτὴ *littus* uſurpare, cum ea ſint, quæ diximus, plana ſatis & comperta.

Alterum Euripidis, ais, *in hac Fabula peccatum eſt, Polydorus prologum recitans. Fingitur anima Polydori ſuum jam tres dies deſertum & fluctibus jactatum cadaver ſubintrare rurſus, & coram ædibus Hecubæ* φαντάζεσθαι, *totiuſque ſecuturæ Fabulæ decurſum in anteceſſum enarrare. Evincemus, hoc figmentum non tantum improbabile & inutile eſſe; ſed etiam totam fabulam corrumpere. Improbabile eſt, Polydorum miraculo, nobis minus, quam Græcis probabili, rurſus animatum, futuram ſuæ ſororis cædem, ſuamque cum illa ſepulturæ communionem præſcire, aut præſagire potuiſſe, niſi fuerit a Diis Inferis edoctus. Atqui nondum*

regna viderat infera, quod ſi fuiſſet, non licuiſſet ipſi e ſententia Græcorum, ſemel Stygem paludem tranſgreſſo, in dias luminis auras remeare. Quod ſi dicas, animabus e corpore liberis vim ineſſe fatidicam, qui factum, ut quæ omnia ſciebat & præſagiebat anima Polydori, de pœnis, quas ſibi ſuus percuſſor erat daturus, nihil ſciret? ut quæ adeo exultabat ob honorem ſepulcri, quem mox erat adeptura, ob vindictam ſui ſanguinis non lætaretur? Hæc primum excutiamus; deinde alia, quæ addis. Poteſt ne quidpiam dici ineptius, imperitis rerum imponi putidius? Tædet me, mihi crede, tædet nugis his reſpondere; ſed quanquam faciam invitus, id facere cogor. Videris ſane ignorare, quid ſemper licuerit Poetis, teſte Horatio. Incredibile exiſtimas, tanquam imperite excogitatum putas, εἴδωλον Polydori apparuiſſe? Quid vero de idolo Helenæ dices, ſi hæc tibi videntur exſibilanda, cujus mentio fit non modo a Noſtro in Helena, ſed etiam a ſcriptoribus aliis? Memoriæ prodidit Euripides, non Helenam Trojæ cum Paride; ſed εἴδωλον ejus tantummodo fuiſſe. Homerus vero ſcribit, veram Helenam Trojæ reapſe fuiſſe. Hac de re narrat Philoſtratus, Apollonium Tyanæum ſciſcitatum fuiſſe Achillis umbram, num revera Helena Trojæ fuerit, recteque ſcripſerit Euripides; umbramque reſpondiſſe recte fuiſſe ab Euripide ſcriptum. Præterea Herodotus teſtatur, mulierem hanc apud Proteum in Ægypto commoratam fuiſſe. Εἴδωλον autem ejus dumtaxat cum Paride Trojæ extitiſſe primus omnium dixit Steſichorus, ut teſtatur Tzetzes in Lycoph., & Ariſtides περὶ Ῥητορικῆς. Verba, quæ Tzetzes ſcripſit, hæc ſunt: λέγουσι γάρ, ὅτι διερχομένῳ Ἀλεξάνδρῳ δι' Αἰγύπτου, ὡς Πρωτεὺς Ἑλένην ἀφελόμενος, εἴδωλον Ἑλένης αὐτῷ δέδωκεν, ὥς φησι Στησίχορος, *dicunt enim, Paridi, cum per Ægyptum iter faceret, ut Proteus ei eriperet Helenam, idolum Helenæ dediſſe, ut Steſichorus refert.* Ariſtides vero de *Trojanis habet*, οἱ τῆς Ἑλένης εἴδωλον

ἔχον-

ἔχοντες, *Habentes Helenæ idolum , ut ipſam Helenam.* Hinc Helena apud Euripidem ver. 33. ita de ſe loquitur,

Δίδωσι δ' οὐκ ἔμ', ἀλλ' ὁμοιώσασ' ἐμοὶ
Εἴδωλον ἔμπνουν, οὐρανοῦ ξυνθεῖσ' ὕπο
Πριάμου τυράννου παιδί..............
Dedit enim (Juno) non me, ſed aſſimilatam mihi
Imaginem vivam, ex æthere compactam
Priami Regis Filio...........

Videſne ex his, o mi Lipſienſis, quidnam fuerit Græcorum εἴδωλον? Cognoſcis ne , quid ſemper licuerit Poetæ? Nonne magis mirari debemus εἴδωλον hoc Helenæ, quam illud Polydori , de quo loquimur? Sed pergamus porro. Videris ſane , nunquam Poetas, & Homerum in primis legiſſe , Poetarum principem & promumcondum elegantiarum omnium , ex quo affatim doctrinas ſuas hauſere conſecuti deinde Poetæ; ex quo Tragici in primis ſuam Tragœdiarum conſcribendarum materiam ſumſerunt, eumque ſunt valde imitati. Videris, ut paullo ante diximus, totius antiquitatis neſcius, ſi te latet, credidiſſe Veteres , umbras, ſeu εἴδωλα eorum, quorum corpora terra condita non erant, huc atque illuc oberraſſe irrequieta, donec terra tegerentur. Quare Athenienſibus , quibus hæc Fabula exhibita fuit, Polydori umbram ſeu εἴδωλον apparuiſſe Hecubæ, eamque allocutum fuiſſe, improbabile viſum non fuit; quippe ipſi , ſi ita viſum fuiſſet, exſibilaſſent haud dubie Poetam. Præterea Veteres, mortuos apparere uſque eo pro certo habebant, ut Ægyptii vetuſtiſſimi foveam quandam fodere mortuis, & victimas mactare conſueverint, ut egreſſi ſanguinem victimæ biberent , ut etiam apud Homerum legimus lib. 11. Odyſ. Quid plura? cibos etiam mortuis apponebant exiſtimantes, eos apparituros , atque appoſita fercula manducaturos. Quem morem vident, atque adeo exprobrant veteres Eccleſiæ Patres Auguſtinus, Hieronymus , & alii . Qua de re fuſe dixi-

 mus

mus in Hiſt. noſtra lib. 1. cap. 11. ubi de conviviis ad ſepulcra mortuorum inſtructis diſſeruimus. In re admodum comperta immorarer equidem fruſtra, ſi multa dicere vellem de hac opinione Veterum, qua erant imbuti, ut mortuos vivis hominibus apparere, eiſque verba facere exiſtimarent. Atque ſane hæc εἴδωλα, ſeu umbræ mortuorum, ut hæc Polydori, de qua loquimur, ſpeciem veram referebant corporis, quamvis corpus non eſſent. Neque ſolum ſpeciem hanc corpoream; ſed eoſdem etiam affectus corporis tribuebant Veteres hujuſmodi umbris, ut dolere, & lætari; at non tangere & tangi, quod veri corporis eſt. Hæc omnia ipſe nos docet Homerus. Nam Spondanus in lib. 11. Odyſ. ſic annotat: *formam & imaginem corpoream animabus defunctorum veteres tribuunt, ut hic animæ Agamemnonis triſtitiam*; ἀχνυμένη *enim* ab Homero dicitur, ver. 387. At tangi & tangere hæ umbræ minime poſſunt, ut idem teſtatur Homerus his verbis:

> Ἀ'λλ' ὐ γάρ οἱ ἔτ' ἦν ἶς ἔμπεδος, ὐδέ τι κίκυς
> Οἵη πὲρ πάρος ἔσκεν ἐνὶ γναμπτοῖσι μέλεσσι
> Sed non amplius ei aderat vis firma, neque illa
> potentia
> Qualis utique antea erat in mobilibus membris.

Ad quæ item Spondanus: *Hoc eſt, quod alias dicebamus, retinere creditas animas defunctorum corpoream quidem formam, ſed actiones omnes corporum illis denegari, & præcipue eam, quæ in tactu verſatur, tam activo, quam paſſivo. De activo hoc babemus exemplum: de paſſivo vidimus antea in Ulyſſis matre*. Neſcio, quid, ut recte intelligas, quomodo umbra Polydori Hecubæ apparuerit, dici poſſit præclarius. Reprehendis in Euripide illud, quod, ſi reprehendendum eſſet, in ſexcentis aliis reprehendi deberet, atque hinc tota antiquitas negari. Quid? Nonne Ovidius lib. 5. Faſtorum perinde ſcribit, umbram Remi fœdatam ſanguine Fauſtulo, & Acciæ Laurentiæ apparuiſſe enixeque effla-

gi-

gitaſſe, ut a Fratre, qui in vivis erat, memoria ejus ſolemni ritu celebraretur? Sed quid plura commemoro? Sive εἴδωλον, ſive verum Samuelem, quod in præſenti non quæro, ſive ſic Deo optimo maximo volente, ſive præſtigiis *Pythoniſſæ*, apparuiſſe narrant ſacræ Litteræ, & futura prædixiſſe. Quæ cum ita ſint, mirari non deſino, cur dixeris, *improbabile eſſe, Polydorum cædem Sororis & alia præſcire aut præſagire potuiſſe, niſi fuerit a Diis Inferis edoctus*. Nimirum non tenes, neque a Scriptoribus accepiſti non modo mortuis, ſed & morientibus ipſis prædicendi virtutem fuiſſe a Veteribus tributam. Patroclus quidem apud Homerum lib. 16. Iliad. ver. 848. mortem Hectori prædicit,

Οὔθην οὐδ' αὐτὸς δηρὸν βέῃ, &c.

Neque ſane tu ipſe diutius vives, &c.

Cui reſpondet Hector,

Πατρόκλεις, τί νύ μοι μαντεύεαι αἰπὺν ὄλεθρον;

Patrocle, cur mihi vaticinaris gravem mortem;

Cur iſtuc fiat videtur docuiſſe Plato lib. 4. de Leg. ubi ait, *Animum in ipſa ſenectute, cum appropinquat morti, melius percipere*. Quod porro a Poſidonio confirmatur narrante, Rhodium quendam, cum jam prope eſſet, ut eum Libitina ſacraret, divinando dixiſſe ſex æquales ſuos deinceps, commemoratis ſingulis, morituros, ut deinde factum eſt. Sic etiam moriens Hector Achilli mortem prædixit. Quod ſi morientes ita futura, ut opinabantur Veteres, prænunciabant, longe magis mortui futura noviſſe credebantur. Sic Elpenor ille Homericus lib. 11. Odyſ. qui jam perierat, nondumque erat injecta humo contectus, apparuit Ulyſſi & futura vaticinatur:

Οἶδα γὰρ, inquit, ὡς ἐνθένδε κιὼν δόμου ἐξ Ἀΐδαο

Νῆσον ἐς Αἰαίην σχήσεις εὐεργέα νῆα, &c.

Scio enim, quod hinc profectus ex domo Plutonis

Inſulam in Ææam ſiſtes fabrefactam navem, &c.

Deinde pergit Ulyſſes dicere

Ei-

Εἴδωλον δ' ἑτέρωθεν ἑταίρου πόλλ' ἀγόρευεν

Idolum vero, (umbra Elpenoris) ex altera ſocii parte multa loquebatur.

Umbram Elpenoris εἴδωλον appellat. Inſepultus erat Elpenor, ut etiam Polydorus, & futura prædicit, quamvis nondum ad ipſa penetralia Inferorum pervenerit. Quæ omnia luculentius patent ex iis, quæ in citatum Homeri locum annotant Critici. *Hæc eſt ratio*, ait Spondanus, *cur prior hæc Elpenoris umbra acceſſerit. Credebant enim olim corporum inſepultorum animas oberrare, & a quiete arceri; ideo promtiores erant illæ ad exaudiendas Necromanticorum incantationes, quia viciniores eſſent terræ, ab ipſoque aditu prohiberentur, ut docent Palinurus Virgilianus, & Appius Silianus. Ille enim ab Ænea, hic a Scipione ſepulturam poſtulant, ut exinde undas Acherontis tranare poſſint. Eas enim prætervehi non licebat inſepultis, & non expiatis cadaveribus; quod Sibylla Æneæ apud Virgilium oſtenderat*:

Hæc omnis, quam cernis, inops inhumataque turba eſt:
Portitor ille, Charon: hi, quos vehit unda, ſepulti.
Nec ripas datur horrendas, nec rauca fluenta
Tranſportare prius, quam ſedibus oſſa quierunt;
Centum errant annos, volitantque hæc littora circum:
Tum demum admiſſi ſtagna exoptata reviſunt.

Ex his omnibus hactenus expoſitis planum admodum compertumque fit, perinde prope atque Elpenorem apud Homerum, Polydorum apud Tragicum noſtrum, qui mirifice ὁμιλίζειν conſuevit, fuiſſe. Atque adeo umbra illa Remi non abſimilis fuit. At tibi præterea mirum, o nunquam ſatis laudande Lipſienſis, videtur, cur Polydori umbra nihil de pœnis dixerit, quas ejus interfector erat ſubiturus. Dixiſſet, ſi voluiſſet, & ſi opus fuiſſet; ſed quia de eo uno maxime erat ſollicitus, ut ſepulturam obtineret, cetera miſit. Demum quis non videt, te in his fruſtra cavillari, & ut fucum imperitis facias, nodum in ſcirpo, ut dicitur, quære-

re?

re? At audiamus, num rectius ſit & peritius excogitatum illud, quod addis. *Inutilis quoque*, inquis, *iſte prologus eſt. Cui enim bono? cui narrabat Polydorus? ſibine? Atqui ridiculum eſt, aliquem ſibi ſoli narrare quæ novit. Aliiſne? atqui ſolus erat in Theatro. Non certe ſpectatores Athenienſes poterat alloqui, qui in Cherſoneſo erant. Perſonis Fabulæ nihil quidquam rei eſt, neque licet eſſe, cum ſpectatoribus extraneis. Ad fabulam hi non pertinent; prorſus in cenſum non veniunt. Quidquid eorum in gratiam exhibetur, quod ipſa natura fabulæ non exigat, non importet, id omne vitioſum eſt, & ſit tantummodo per un ſtolto compiacemento per li ſpettacori. Quod Euripides etiam hic peccavit. Quod tandem Fabulæ decurſus in exordio ſtatim enarratur, id corrumpit eam, omnique gratia ſpoliat. Id enim, quod ſuſtinet, & excitat, & ſuſpenſam quaſi tenet ſpectatorum attentionem, eſt rerum futurarum ignoratio*. De re hic haud nova loqueris, & quæ utrinque exagitata atque expenſa ſuos patronos non ſit nacta. Illud quidem peculiare Euripidi fuit, ut prologo uteretur in Tragœdiis populo exhibendis, quo facilius quod erant audituri, auribus exciperent. Quapropter fuere Critici, qui iſtuc in Tragico quam maxime commendarunt, veluti artificium quoddam admodum probabile, quo planius ea, quæ ſpectatores audiunt, intelligere queunt. Quare Fridericus Taubmannus non dubitat appellare prologum in dramatis *externum requiſitum*. Atque ſane videmus, Comicos etiam prologo uſos fuiſſe; & ab Ariſtophane ipſo, qui id videtur in Euripide, cui erat valde infenſus, carpere, Carion Servus in Pluto προλογίζων inducitur, & alii alias. Quem τοῦ προλογίζειν morem Latini deinde ſunt imitati, ut Plautus, qui aut perſonam ſtatim ab initio inducit, quæ προλογίζει, aut quæ ſubinde rem totam enarrat. Terentius autem ſemper extra fabulam προλογίζει. Hinc factum, ut varii ſint τῶν Δραμάτων prologi. Vel enim eſt συστατικὸς quo aut fabula, aut

Poe-

Poeta commendari ſolet; vel ἀναφορικὸς, quo aut adverſarius carpitur, aut gratiæ populo referuntur; vel ὑποθετικὸς, quo argumentum Fabulæ ob oculos ponitur, & toti rei veluti lux quædam affertur; vel tandem μικτὸς, qui his omnibus continetur. Prologus itaque, quo Euripides utitur, ὑποθετικὸς eſt, & ad ſpectatores pertinere debet. Nam perſonam in hujuſmodi prologis inducit Poeta, ut rem univerſam initio exponat, eo haud dubie conſilio, ut reliqua facilius intelligantur. Sic apud Plautum in Aulularia Lar familiaris hoc modo prologum agit:

Ne quis miretur qui ſim, paucis eloquar:
Ego Lar ſum familiaris, ex hac familia,
Unde exeuntem me aſpexiſtis, &c.

Quibus pergit ὑπόθεσιν Fabulæ patefacere. Prologus vero Medeæ in Tragico Noſtro miſtus quodammodo appellari poteſt, ſiquidem μονολογίζει Nutrix, quæ ſimul rem aperit, & lamentatur, Terræ, cœloque dolores ſuos calamitateſque enarrans, ut ipſa teſtatur ver. 57. Quapropter Athenienſes, qui Hecubam audiebant, quamvis ſcena ſita eſſet in terra Cherſoneſo, ſibi enarrari intelligebant, quæ Poeta per umbram Polydori eloquebatur. Neque Euripides, qui mira vi & virtute mentis præditus erat, παρὰ πρέπον duxit ita efformatas exhibere Tragœdias, quarum ſcenas non Athenis ille ipſe, ſed aliis locis collocaverat. Sic namque apte oculis Athenienſium ſubjiciebantur ea, quæ apud alias nationes & ſuperioribus temporibus evenerant. Vide, quæſo, hinc quam ego longe a tua ſimul, & ab aliorum, qui perinde exiſtimant, ſententia abeam. Tu ais, *Prologum corrumpere fabulam, eamque omni gratia ſpoliare*. Ego contra ajo, eam perficere quodammodo atque illuſtrare. Ac ne temere id obtrudere videar, imperitiſque imponere velle, rem ſic ſtatuo: Cujuſque rei, ex Platone in Parmenide, eſt principium, ex quo deinde fit unum. Hoc ordine & regula ut utamur, ipſamet natura jubet. Quod quidem principium

ita

ita ſolet eſſe conſtitutum, ut ex eo plane dignoſcatur, quid iſtuc rei ſit quod incipitur; atque inde per acceſſiones incrementa atque perfectionem accipere debet. Quapropter ſi principium eſt in rebus, natura ipſa volente, & ex principio indicatur quod ſit unum, quod principio caret indicante rem, perfectione careat neceſſe eſt. Quod item uſuvenit in litteris, ſi recte quod res eſt expendamus. Quiſque exorditur, & ea univerſim quodammodo præmittit, ex quibus intelligitur res, quæ inſtituitur, conſtare. Sic in mathematicis, poſitis explicatiſque iis, quibus tota conflatur ſcientia, fit deinde ad alia gradus. Sic in Oratoriis procemia adhibentur, quibus Auditorum animum ad ea, de quibus ſermo habetur, attentum, benevolum, generatim veluti patefacta re, facit Orator. Haud ſecus in Tragœdiis præparatur animus, quoniam difficile eſt, totam jam animo complecti exhibendam, niſi ipſius exhibendæ rei initium ponatur, quo ad cetera facilius intelligendo aditus, veluti clavi quadam, ut ita dicam, aperiatur. Quare ea, qua fecit Euripides, ratione, opportunus, neceſſarius, appoſitus eſſe dignoſcitur prologus. Ita ſecum ipſe reputaſſe Tragicus, cum primum ad conſcribendas Tragœdias appulit animum, mihi videtur. Ille enim poſt Æſchylum, & Sophoclem hac ſibi ſparta ornanda ſuſcepta, ex ipſa re, ut puto, vidit concinnius eſſe & præſtantius prologo uti; & ut erat omnium fortaſſe maxime Homeri ſtudioſus, ejuſque induſtrius navuſque imitator, perſpexit acute, Homerum etiam prologo quodam uſum fuiſſe. Ac ipſe quidem προλογίζει initio Iliad. rem veluti totam, de qua eſt ſcripturus, aperiendo; & perinde initio Odyſ. ut legenti patet. Non ego is unus ſum, qui hæc animadverterit, hoc idem animadvertit etiam Spondanus, qui ad prima ſtatim Iliad. verba hanc appoſuit animadverſionem: *In primis*, inquit, *cum ſoleant Scriptores initio operis veluti ſummam ſequentis narrationis proponere, ut lectores non ſint ſuſpenſi; ſed præ-*

præmoneantur qua de re ſuſcepta ſit ſcriptio (τὸ γὰρ ἀόριστον πλανᾷ. ὁ δοὺς οὖν ὥσπερ εἰς τὴν χεῖρα ποιεῖ ἐχόμενον ἀκολουθεῖν τῷ λόγῳ. διὰ τοῦτο, μῆνιν ἄειδε θεὰ, *ut eſt apud Philoſoph. Rhetor. ad Theod. lib. 3.*) *Poeta noſter in ipſo principio explicat qua de re ſit impoſterum ſcripturus. Illud in prologis factitant tam Tragœdiæ, quam Comœdiæ, totiuſque Fabulæ argumentum in ipſo limine exponunt.* O quam belle hæc, quam luculenter, quam appoſite id, quod diximus, oſtendunt, probant, confirmant; quod vero tu in Euripidem ſecundo loco ingeſſiſti convicii, diluunt, refellunt, tollunt! Velim citata Græca a Spondano verba diligenter expendas, ut intelligas tandem, te Euripidi noſtro præſtantiſſimo prologis uſo, duce & magiſtro Homero, & natura ipſa rerum quodammodo docente, turpem erroris notam injuſtiſſime inuſſiſſe. Quid plura? Animadverte, genere quodam prologi non obſcure uti ſcriptorem omnium maximum, & quantivis faciendum, qui divino afflatus numine ſcripſit, Moyſem dico. *Τὴν γένεσιν* rerum ſcripturus, paucis initio rem totam complectitur, quam eſt enarraturus. *In principio*, inquit, *creavit Deus cœlum & terram*. Quibus verbis *προλογίζων* ipſam rerum univerſitatem primum nobis ob oculos ponit; deinde rerum peculiarium, quæ ad cœlum, & ad terram pertinent, enarrationem aggreditur. Hæc omnia hactenus dixi non propterea ſane, quod Tragœdias alias improbare velim, quæ prologo carent. Nam laudandum eſt artificium Poetæ, quo ex ipſa rerum enarratione *τὴν σύστασιν τοῦ Δράματος* ſpectatoribus aperit. At hinc tamen non fit (quod unum impugno) prologum Tragœdiam corrumpere, & quia ita fecit, vitio eſſe Tragico noſtro vertendum. Quare hæc, quæ hactenus diximus, ſatis ſuperque eſſe putem ad refellendum illud tuum ſecundum peccatum in Tragicum noſtrum excogitatum. Tertium porro comminiſceris, quod etiam refello.

Tertium peccatum eſt, inquis, *quod choro non ſolum ca-*

canenti, ſed cum Hecuba colloquenti, nimis longam ῥῆσιν *a ver.* 100. *uſque ad* 155. *tribuit*, neque τὸ πάθος *obſervavit. Hecuba enim tot & tam luctuoſa ſibi audiens abſque motu muta perſtat, neque luctus ullum ſignum edit, neque ullam interjicit exclamationem.* Pro Deum hominumque fidem! eſt cur ego ita exclamem, vehementerque admirer. Qui fieri poteſt, ut vir, qui ſuæ mentis ſit, qui criticum agit, qui alios judicat, dicam præterea, qui Euripidem ipſum caſtigat, tantopere hallucinetur, ac veluti de mente dejectus neſciat omnino quid loquatur? De Tragicorum Choris nihil ne tenes? nihil ne legiſti? Nolo ego in præſentia, ne ſim importune diſertus, quicquid de Choris dici poteſt, in medium afferre. Ea igitur duntaxat exponam, quæ videntur ad rem noſtram accommodata, & ad tuam nimiam confidentiam oſtendendam mirifice facta. Generatim novimus, Chorum eſſe aliquando inter Actores enumerandum. Quo ſpectant ea, quæ de Arte Poetica ſcripſit Horatius:

> Actoris partes Chorus, officiumque virile
> Defendat, neu quid medios intercinat actus,
> Quod non propoſito conducat, & hæreat apte:
> Ille bonis faveatque, & conſilietur amicis,
> Et regat iratos, &c.

Nemo eſt unus, qui neſciat, Chorum interdum perſonam agere Actoris, eaque præſtare, quæ ſunt a fideli proboque amico præſtanda, qui alterum amicum monet, certiorem facit, pie ſancteque conſulit, ut dominus Vatry de Choris differens ait: *En un mot rempliſſent toutes les parties d'amis zelez & fideles.* Hinc hoc loco Chorus, cum audiviſſet ea, quæ in Hecubam moliebantur Græci, quod erat honeſti amici fecit, ſtatim eam convenit, omniaque patefecit, quæ audiverat. Vides haſce partes nemini rectius datas, quam Choro ex mulieribus compoſito Trojanis, quæ communi cum Hecuba calamitate opprimebantur. Hujuſmodi itaque Chorus eſt veluti fidelis amicus ap-

poſite admodum excogitatus; ſi quidem Hecuba, cujus res afflictæ vexatæque vehementer erant, amicis carebat. Quid igitur mirum, ſi Chorus, non longa quidem oratione, ut tu putas, ſed ſatis brevi 55. verſuum metro haud longo conſtantium, ea, quæ audierat, univerſa Hecubæ exponit, eamque hortatur, ut, quod unum reſtabat, opem Deorum & Agamemnonis imploret? Non παρὰ πρέπον profecto exiſtimandum foret, ſi longiori etiam oratione fuiſſet uſus Chorus, quando res enarrandæ poſtulaviſſent. Præterea cum dicis, *Choro non ſolum canenti*, rem commemoras non paucis neque minimis difficultatibus implicatam. Certum eſt, ceciniſſe Choros; atque adeo tota Tragœdia cantu quodam recitabatur; at non ſatis adhuc exploratum eſt, quo cantu ea, quæ ad perſonas ſpectabant, canerentur. Veri tamen eſt ſimile, ea, quæ eloquebantur perſonæ, eo cantu, quem nos Itali *recitativo* appellamus, exprimi conſueviſſe; atque propterea Chorum, cum inter perſonas, quæ res enarrabant, enumerabatur, perſonæque agebat vicem, perinde ac alias perſonas cantu, quem diximus, uſum fuiſſe nobis perſuadere poſſumus; atque proinde breviorem Chori enarrationem fuiſſe. Ut tamen fuerit oratio hæc Chori vicem agentis perſonæ, longior, quam par ſit, nulla eſt ratione cenſenda. Neque peritius dictum eſt a te illud, quod addis, τὸ πάθος *non obſervaſſe* Euripidem. Tune eripis hanc Tragico laudem, quam ſibi jure vindicat, cum Ariſtotele ſingulis univerſiſque volentibus Criticis, ut ſit τραγικώτατος? Nemo eſt Veterum, recentiorum nemo, qui ei ſemper τὸ πάθος non tribuat. Qua de re hæc habet Quintilianus: *in affectibus vero cum omnibus mirus, tum in iis, qui miſeratione conſtant, facile præcipuus. Hunc & admiratus eſt (ut ipſe teſtatur) & ſecutus, quamquam in diverſo opere Menander*. At ſit Ariſtoteles, ſit Menander, ſit Quintilianus, ſint alii hunc Tragicum hac in re præſertim admirati, tu noveris τὸ πάθος hic maxime

non

non obſervaſſe; quia nulla dolentis exclamatione Mulier enarrationem Chori interceperat. Quid? debebat ne interturbari Chorus ea dicens, quæ attentiſſime novitate rerum ſuſpenſa audiebat Hecuba? Nihil ne conſideras, quid in hujuſmodi rebus natura ferat? Primum, cum audimus mala nobis ingruentia enarrari, admiramur; deinde commovemur animo; poſt vehementius turbamur; tandem, tota audita re, in querelas erumpimus. Perinde Hecuba fecit. Nam vehementer poſt auditas calamitates, lamentatur, & cum inter audiendum dolore magno angeretur, dolorem, quem aliquandiu prudenti conſilio, ne dicentem Chorum interturbaret, texit, vehementiorem demum erumpere ſivit. Si exclamationes interpoſuiſſet, importune editæ fuiſſent, & viderentur a Poeta fictæ, non a natura dolentis profectæ. Dolebat jam tacite, ut & nos dolemus, cum ad aures noſtras ingrata & moleſta accidunt; donec tandem, erupto dolore aperte vehementerque lamentamur. Verum & de his ſatis. Cedo quartum Euripidis peccatum.

Quartum hoc, tua ſunt verba, *exſpectaveras a Choro, ut Hecubam animi deliquium paſſam, & humi proſtratam erigat & ſoletur. At horum nihil fit. Chorus, omiſſa incaute miſera, cantum exorditur, neque ſollicitus eſt niſi de eo, quo tandem terrarum avehendus ſit. Eſt nempe Noſtro præcipue familiare, ut Choro rheſes tribuat ad rem nihil pertinentes.* Non dubito, quin, ſi te audirent de principe Tragico tam demiſſe atque inique ſentire Veteres illi, ut Socrates, & alii, qui illum mirandum in modum ſuſpiciebant, primum riſu, deinde ſtomacho, tandem indignatione toti commoverentur. Sed ipſi jam a vivis exceſſerunt, nihil eſt tibi ab illis timendum. Habes tamen modo doctiſſimos, qui tua hæc legunt, ſuiſmet oculis cernunt, vel fando audiunt, & partim te rident, partim ſtultitiæ inſimulant, partim ajunt, hoc pati etiam debere litteras, ut & id genus hominum ſit, & inter litteratos

per fraudem habeatur. Quid exſpectaveras a Choro, ut afflictam Hecubam erigeret & ſolaretur? Hoc non erat Chori; ſed ancillarum, quæ ipſam comitabantur. Quanquam enim eſſet captiva, famulæ illi præſto erant, quam etiam, ut erat annorum plena, & ætate prope confecta, ducebant. Id omne tibi planum fit ex verbis ipſius Hecubæ ver. 59. ubi dicit, Ἄγετ', ὦ παῖδες, τὴν γραῦν, &c. Ad quem locum ſic ego italice adnotavi: *erano coteſte donne, colle quali parla, ἄφωνα πρόσωπα*, quæ ex Choro non erant. Hinc παῖδες hoc loco Scholiaſtes explicat δοῦλαι. Quæ cum ita ſint, ſatis intelligimus, famulas eam afflictam erexiſſe, &, ut opus erat, ejus animum verbis amicis ſublevaſſe; quod in Theatro belle a ſpectatoribus conſpiciebatur. Quare ego cum ex aliis, tum ex his præcipue mihi videor affirmare poſſe, te nunquam ante haſce Euripidis Tragœdias legiſſe, &, data modo occaſione, leviſſime percurriſſe; ſiquidem videris neque univerſe hujuſce Tragœdiæ τὴν οἰκονομίαν tenere. Te enim latet, præter mulieres Chori, alias fuiſſe, quæ Hecubæ aſtabant, ex quibus una erat etiam illa, quam ad Regem Thraciæ miſerat. Haud ſecus inſulſe & falſo ais, *Noſtro præcipue familiare eſt*, *ut orationes* (non dicam rheſes, ne barbara omnino & peregrina latinis nulla neceſſitate miſceam) *tribuat ad rem nihil pertinentes*. Iſtuc effutis nimirum, quia neſcis, quid officii teneat & defendat Chorus. Quamobrem pergam oportet ea commemorare, quæ ad Piſones de Arte Poet. ſcripſit Horatius:

Ille (*chorus*) bonis faveatque, & conſilietur amicis
Et regat iratos, & amet peccare timentes,
Ille dapes laudet menſæ brevis, ille ſalubrem
Juſtitiam, legeſque, & apertis otia portis,
Ille tegat commiſſa, Deoſque precetur, & oret,
Ut redeat miſeris, abeat fortuna ſuperbis.

Neceſſe eſt ſedulo animadvertere quid agat Chorus in Tragœdiis, & intelligetur plane, non fruſtra a No-

ſtro tribui illi orationes. Hoc igitur loco Chorus non modo propriam; ſed Polyxenæ & Hecubæ etiam dolet vicem. Quod tu hercle noviſſes, ſi paullo diligentius ſcribere tibi placuiſſet, & ea, quæ in hanc rem Scholiaſtes annotat, legere. Ad verſum 444. hæc habet: τοῦ Ὀδυσσέως λαβόντος τὴν Πολυξένην, καὶ ἀπερχομένου, ἀνακλαίεται αὐτὴν ὁ Χορὸς διὰ τὸ ἄδηλον, καὶ τὸ μὴ εἰδέναι τί μέλλει παθεῖν αὕτη, h. e. *Abducente Ulyſſe Polyxenam, & abeunte, Chorus ejus vicem deplorat; propterea quod compertum non erat, ac neſciebat quid ipſa pati deberet*. Tu igitur nihil meditatus illud aſpernaris, quod eſt maxime laudandum, & quod natura ipſa fieri comperitur. Chorus miſera puellæ fata lamentatur, & tantam calamitatem filiæ & matris deplorans dolet neſcius quid de illis, & de ſe ſit futurum. Audi P. Brumoy, qui ſtipes non eſt, mihi crede, neque truncus, ſed in his apprime verſatus: *Ces ſtrophes, inquit, ſont des plaintes tres eloquentes excitées par un retour que la nature fait faire aux malheureux ſur eux-memes à la vûë des malheurs d'altrui*. Ex his cognoſce, quantum abſit, ut hæc oratio Chori ſit improbanda, ut potius valde commendetur veluti a natura profecta. Chorus namque calamitates alterius dolens, ſua ſimul mala hinc mente recogitans, queſtus maximos edit. Neſcio equidem, quantum tu huic Critico tribuas; mihi certe in quovis, quod verum eſt & apposite dictum, ſequi & approbare eſt religio. Tibi itaque tandem perſuade, niſi te ſemper deſipere delectat, hanc Chori orationem, quemadmodum & aliæ ſunt apud Noſtrum, ſi rite recteque expendantur, ad rem eſſe probe accomodatam. Venio ad quintum Euripidis a te confictum peccatum.

Quinto probabile non eſt, (ſic tu pro tuo more confidentiſſime judicas) *Polyxenæ cædem, ad quam multo erat opus apparatu, tam brevi tempore potuiſſe peragi, quo Chorus verſus 39. recitat, a ver. 444. uſque ad 483. quod ut ut poſſit excuſari (neque enim hoc argu-*

mentum graviter urgebimus) *debet tamen Poeta curare, ut fictarum, quas exhibet, actionum tempori, aliqua ſaltem cum tempore, quod veræ actiones ſibi poſtulant, proportio ſit*. Dii nunquam pejora duint. Nam hic ſatis præclare cum meo miſello Euripide, & cum ejus Tragœdiis agitur, quia non hoc argumentum graviter urges. Verum enimvero ſi urgeres, urgeres ruſtice ſane. Quid dicis *recitaſſe Chorum*? Non recitavit, cecinit 39. verſus, ut in ſtrophis ſolebat, non brevis temporis ſpatio; ſed eo, quod ſatis erat, ut intelligeretur mactata puella. Incertum eſt, num Chorus, ut ante diximus, cum perſonam ageret, eo caneret modo, quo aliæ perſonæ conſueverant, h. e. cantu, quem nos italice *recitativo* appellamus, qui haud dubie brevior erat & expeditior; at in ſtrophis Chorus ita ad tibias modulate canebat, ut non breve temporis ſpatium inſumeretur. His adde, Poetas vel Tragicos, vel Comicos id habere ſatis, ut indicent rem eveniſſe. Spectatores enim ſibi verba dari non putant, cum quidpiam annunciatur factum fuiſſe aliquo temporis intervallo, quia ipſi per ſe intelligunt, rem illam, extra ſcenæ ſpectaculum, congruo temporis ſpatio fieri debuiſſe. Non poteſt uſque eo perfecta exhiberi ſemper Tragœdia, ut quæque facta per illud tempus exhibeantur, quo fieri debent. Hinc quamvis actio aliqua decem, exempli gratia, horas poſtulet, ut fiat, in Theatro tota exponitur per duarum aut trium horarum ſpatium, quod inſumitur fere in exhibenda Tragœdia. Atque ipſe jam ſpectator, qui geſtit videre inceptam rem, quo tandem evadat, facile ſe ipſum fallit, facileque ſibi fingit, aut prætериiſſe tempus, quod requirebatur; aut illud, quod, ut fieret, plus temporis repoſcebat, minori tempore fieri potuiſſe, ſibi perſuadet. Sponte veluti ſua in hunc ſe errorem conjicit, quia audiendi aviditate raptus actionem ipſam quodammodo, dummodo ſit quadantenus indicata, cogitatione præcurrit. Hæc eadem,

quæ

quæ ego, animadvertunt Critici, qui de arte Tragica ſcribunt. Illud quidem eſſet non ferendum, ſi puer recens natus, ſenex paullo poſt factus induceretur, aut ſi quis in remotiſſimas regiones profectus diceretur, & intra horæ ſpatium redux in ſcena conſpiceretur. Quo vitio apud quaſdam nationes dramata quædam laborare inveniuntur. At Veteres diligenter admodum caverunt ſibi, ne in id peccati laberentur. Qua de re perſpecte diſſerens P. Brumoy hæc habet. *Ainſi l' artefice joint à la nature juſtifie aſsés la conduite des premiers Poetes Tragiques, qui n' ont paſsé, que de ſort peu la durée de la repreſentation dans l' eſpace qu' ils ont donné à l' action de leurs Tragedies.* Hinc vides, quod tu reprehendis in veteri Tragico, ab aliis nihil improbari; & ab eo, cujus tu eum inſimulas, errore diligenter caviſſe, ut ego in Tragœdiis ipſis identidem monui. Sed quid eſt opus in re tam comperta plura commemorare? Nihil prope a Tragicis & Comicis exhiberi in Theatro poſſet, ſi id temporis inſumi deberet, quod actiones ipſæ extra ſpectaculum poſtularent. Hinc vulgo, ut minimum, unius diei ſpatium datur Dramatis, intra quod res tota exhibita peragi intelligatur. Verum hæc mittamus, quæ minora ſunt. Majora dabis. Audiamus.

Sexto frigidum eſt, & gallulum ſapit iſtud, (ſic tu belle ais, mi eruditiſſime vir) *quod Agamemnoni, quis tam ſiniſtra utitur, atque tu, fortuna? exclamanti, reſpondet Hecuba, Nemo, niſi forte ipſam fortunam dicas.* Hic fateor, me vehementi admiratione attonitum atque ſuſpenſum nihil ferme quod reſpondeam, habere. Si tantum tibi ſumis, ut in viro Græco, Athenienſi, præſtantiſſimo, in Euripide frigidas dicendi formulas deprehendas, homo iſtiuſmodi, ut videris, qui primoribus labiis Græcam linguam deguſtaveris, quis eſt qui tibi de penitiori elegantiorique Græcarum litterarum peritia non concedat? Sed vide quam falleris, & quam tute Jalemo ipſo, qui frigide ſemper & in-

inepte verſus pangere ſolebat, frigidior ſis. Tu frigidam hanc Euripidis dicendi formulam vocas; ego elegantiſſimam. Tu verbo ais, nihilque habes, quo probes; ego ajo, & plura mihi ſuppetunt, quibus rem demonſtrem, argumenta. Adverte, quæſo, animum diligenter. Fac dicas, ut in Pſalmo primo eſt, ***Beatus vir, qui non abiit in concilio impiorum***, & fac item ego reſpondeam, immo ***beatitas ipſa eſt vir, qui non abiit, &c.*** Frigida ne eſt hæc dicendi formula qua ſignificare volo, virum iſtiuſmodi beatum admodum eſſe, perinde ac ſe Hecuba miſerrimam omnium dicere volebat, ſe ſe calamitatem ipſam appellans? Frigide igitur ſcripſit David, qui citato loco ſimillimo utitur dicendi genere, h. e. אַשְׁרֵי הָאִישׁ h. e. ***Beatitas viri***, quod idem ſignificat, ac ***Admodum beatus vir***, &, ut malit explicare Sanctes Pagninus. ***O quam præclare & proſpere cum viro agitur, qui, &c.*** Quod certe ἐξοχὴν beatitatis ſignificat. Exemplum porro ex Græca lingua ponamus. Finge, me ita dicere: ***Inveni hominem non modo improbum, ſed peſtem ipſam.*** Frigide ne eloquar? Nihil minus; quia hæ formulæ venuſte ſignificant, augentque ſignificationem. Lege cap. 24. Act. Apoſt. ver. 5. & eandem comperies φράσιν: Εὑρόντες γὰρ ἄνδρα τοῦτον λοιμὸν, καὶ κινοῦντα στάσιν, h. e. ***Invenientes hominem peſtem, &c.*** Hinc Vulgata habet ***peſtiferum***. Obruere te poſſem exemplis. Quid illud, quod legitur, in Epiſt. prima Joan. cap. 5. ver. *6.* ὅτι τὸ πνεῦμά ἐστιν ἡ ἀλήθεια, quod de Chriſto dicitur, h. e. quoniam Chriſtus non modo verax eſt; ſed veritas ipſa. Et illud in Evangelio Joan. cap. 14. ver. *6.* Ἐγώ εἰμι ἡ ἀλήθεια ***ego ſum veritas***. Hinc ego, ut ſum alias ſæpe miratus, hic quoque denuo miror, te iſtuc etiam ignorare, abſtractum, ut Grammatici dicunt, pro concreto aliquando eleganter uſurpari. Quo loquendi genere ſunt quidem omnium primi Hebræi delectati. Præter illud, quod attulimus, accipe exemplum alte-

rum

rum ex Propheta Jeremia depromtum cap. 50. ver. 29. הִנְנִי אֵלֶיךָ זָדוֹן h. e. *Ecce me contra te, o ſuperbia*, h. e. *vir ſuperbiſſime*, ut explicat Joannes Buxtorfius vir in Hebraicis litteris inſigniter verſatus. Hebræos deinde ſunt Græci imitati, tandem Græcos Latini. Plura id genus in Plauto leguntur. Unum vel alterum exemplum profero, ne nimius ſim. In Moſtellaria Act. 1. Sc. 1. dicitur ſervus *herilis pernicies*, ut admodum *pernicioſus* denotetur: *Egredere, herilis pernicies, ex ædibus*. In Trucul. verò Act. 2. Sc. 1.

Ha, ha, ha! hercle quievi, quia introivit odium.
tandem ſola ſum.

Sic vocat hominem admodum inviſum. Nonne idem eſt, ac ſi diceret, non modo mihi homo iſtiuſmodi eſt odioſus, ſed odium ipſum? Haud ſecus Hecuba dixit, *non modo ſum miſera, ſed calamitas ipſa*. Si res efflagitaret ex Græcis etiam plura promerem ejuſdemmodi exempla; ſed in re tam comperta fruſtra conteritur tempus. Quare illud unum commemoro, quod eſt apud Noſtrum in Heracl. ver. 52.

Ὦ μῖσος, εἴθ' ὄλοιο, &c.

h. e. *o odium, utinam pereas*. Quem locum ita explicat Joannes Brodæus, *ὦ μισητὲ, o vir mihi odioſiſſime*. Alia ſunt ejuſdemmodi, quæ prætereo... De tuo vero illo *gallulum ſapit* nihil dico; quoniam ingenue fateor, neſcio quid tibi velis, niſi fortaſſe tuo in animo habeas Gallorum ingenium perſtringere extra omnino rem, & ut, hominis invidentis eſt, non laceſſitus: Sua cuique laus eſt genti, nec tuum eſſe poteſt illud, quod fuit Græcorum & Athenienſium inprimis, *πᾶς μὴ Ἕλλην, βάρβαρος, qui Græcus non eſt, barbarus eſt*. Vide, quæſo, quid tibi pollicearis, & diligenter cave, ne impotenti iſta tua ſcribendi licentia, ceteris Lipſienſibus qui genere, litteris, & humanitate ornatiſſimi ſunt, & habentur, quoſque ego candide magni æſtimo, atque ſuſpicio, invidiam facias. Quanquam

mihi facile perſuadere queo, neminem unum illorum eſſe, qui pro ſua animi integritate & in litteris ſollertia hæc tua inepta non aſpernetur & improbet. Fieri enim non poteſt, ut ingenuis probroſa, ſapientibus ſtulta, eruditis futiliter excogitata placeant. At hæc ἐν παρόδῳ dicta ſint: ad noſtra veniamus. Cetera tua in Euripidem æqua trutina ſunt examinanda.

Septimo, inquis, *incongruum eſt & tempori, & locis, & perſonis, quod Hecuba ver. 980. ancillam Regem Thracum arceſſitum mittit, qui & paullo poſt ver. 953. cum curru, & liberis, tanquam ex machina Deus, adeſt. Tempus, quo 48. verſus parvi & dimidii tantum recitari poſſunt, magis curtum eſt, quam ut ancilla, quo mittebatur venerit, nedum ut Thrax adeſſet. Si admittatur, quod ſupra Lectoribus probabile effecimus, Scenam in Aſia eſſe, Regem autem illum in Europæa provincia Cherſoneſo Thracica habitaſſe, bis fuerat interea Helleſpontus ancillæ trajiciendus, antequam cum Rege rediret in Scenam, hoc eſt, ſpatio fere dimidii quadrantis horæ. Ubicumque tandem ille regnaverit, procul a Troja certe regnavit. Quod ni ſit, Græci eum eadem cum Trojanis involviſſent ruina, aut, minimum, ejus ipſi hoſpitem Polydorum abſtuliſſent. Mittitur ancilla in terram, quam, quis nos refutet, ſi dixerimus, pedibus ab ea antea calcatam nunquam? ad Regem, quem forte non viderat antea, neque, ubi pro tempore iſthoc eſſet, quandoquidem vagari Thraces, & latrocinari ſolebant, norat. Rex barbarus, Græcos metuens, quod certe debebat, ad unius ſervæ captivæ appellationem, nullo munitus immunitatis pacto, integro exercitui hoſtili, victori, cum liberis ſe permittit. Facile credulus & ῥάθυμος ille ſit oportet, cui talia probabiliter fieri & fingi videbuntur. Neque opponet quiſpiam fingi poſſe in gratiam excuſandi Poetæ, ancillam Regi jam venienti prope navale Græcorum in via occurriſſe. Admitteremus hoc, niſi Poeta ipſe deſtrueret hanc πρόφασιν ver. 965. dicens ex perſona Polymeſtoris: jam pedem ultra fores.*

tol-

tollenti mihi accidebat ancilla tua, referens ſermones, quos audiens huc veni. Jam ſi pedem modo efferenti e domo iſta occurrebat, non potuit in media, vel ultima via occurrere. Confirmat id etiam hoc, quod ſi ancilla jam venienti occurriſſet, ille ſolus veniſſet. Alias non interrogaret Hecubam, quare liberos voluerit adductos. Quantum, Dii boni, in his verbis inane! Diſpeream, ſi quis ſuæ mentis, etiamſi certo conſilio velit, dicis jocique cauſſa, operam magis ludere, ineptiora infarcire poteſt. Agedum audi, ſi vera loquor. Scena in Cherſoneſo Thracia ſita erat, ut jam ante luce clarius probavimus; Cherſoneſus vero hæc, de qua ſermo eſt, ex argumento ipſo Fabulæ ἀντιπέραν erat τῆς Θρῄκης *e regione Thraciæ*, unde Cherſoneſus Thracia eſt appellata, ubi Rex ipſe Thraciæ Polymneſtor regnabat (cur Polymneſtorem ſcribam, ſuo loco dicam) haud procul a loco, ubi ſcena conſtituitur, ut compertum ſit ex *parallelis* Plutarchi, in quibus, quod attinet ad hanc rem noſtram, ita legimus: Ἐκάβη δὲ ἐπὶ τοὺς τόπους παραγενομένη, &c. *Hecuba autem cum perveniſſet ad ea loca, ubi regnabat Rex, &c.* Lege citata verba Plutarchi, & omnia plana, quæ dico comperies. Quod etiam, ſis, luculentius cognoſcere potes ex ipſa Tragœdia. Nam poſtulanti Agamemnoni ad quem virum Polydorum miſerit, reſpondet Hecuba, εἰς τήνδε χώραν *in hanc regionem*, cui Agamemnon ver. 770. reponit, πρὸς ἄνδρ᾽ ὃς ἄρχει τῆσδε πολυμήστορα χθονός; *ad virum Polymneſtorem, qui in hac regione imperat?* Erant igitur Græci, & ſimul Hecuba in Regno ipſo Regis Thraciæ; atque adeo haud procul ab eo loco, ubi Thrax ille ſedem tenebat. Quod facile hercle colligi poteſt ex verbis ipſis Polymneſtoris ver. *962.*

> Σύ δ᾽ εἶπε μέμφῃ τῆς ἐμῆς ἀπουσίας,
> Σχές. τυγχάνω γὰρ ἐν μέσοις Θρῄκης ὅροις
> Ἀπών, ὅτ᾽ ἦλθες δεῦρ᾽.........

Quæ ego ſic italice reddidi

che

....................che ſe tu poi
La lontananza mia punto accagioni,
T' accheta; perocchè là della Tracia
In mezzo de' confini era lontano
Quando ſei giunta qui..........

Sic perſpecte Poeta τὴν οἰκονομίαν diſtribuit; ſiquidem Hecuba, cum eo loci perveniſſet, ſtatim obviam ſibi habere debebat Polymneſtorem, quia & prope erat, & quia ejus fidei concreditus ſecum degebat, ut putabat mulier, Polydorus. Hinc excuſationem prætendit Rex, ſe, cum perveniſſet illa, affuiſſe. Poteſne cognoſcere clarius, non procul a Græcorum exercitu habitaſſe Regem Thraciæ, ſcenamque in ipſa Cherſoneſo Thracia ſitam fuiſſe? Hinc de ſpatio illo temporis, quod inſumitur ab ancilla ad Regem profecta, non eſt cur quidpiam dicam. Nam non longe remote a loco, unde abierat, eum invenit, qui e domo egrediens ſua ſponte ad Hecubam veniebat, cum redux eam perveniſſe reſciviſſet. Hæc omnia ex ipſa Tragœdia in propatulo ſunt. Non igitur, tanquam ex machina Deus adeſt, ut tu imperitiſſime ais. His adde, interea dum abierat ancilla, præter verba alia, quæ Hecuba cum Agamemnone fecit, ceciniſſe plures verſus, non recitaſſe Chorum, quo temporis intervallo ſatis indicatum fuit ſpectatoribus, tempus illud fuiſſe inſumtum, quod requirebat & profectio ancillæ, & Regis adventus. Mittitur præterea ancilla, & ne videatur mulier in alienum ſolum παρὰ πρέπον mitti, petit Hecuba ab Agamemnone, ut eam ipſe tuto mittat, hoc eſt, datis ducibus, qui ducant, comitentur, tueantur. En Hecubæ verba ad Agamemnonem ver. 889. Πέμψον δέ μοι τήνδ' ἀσφαλῶς διὰ στρατοῦ, *mitte mihi banc tuto inter militum copias*. Quæ cum ita ſe habuerint, eſt ne mirum, Ancillam in ſolum minime ſibi cognitum abiviſſe ad Regem, & de facie ipſi fortaſſe notum, aut certe ſibi nominis fama notiſſimum? Nam Polymneſtor, teſte Plutarcho in paralle-

lis,

lis, gener erat Priami, ad quem jam Polydorum miſerat. Audi Plutarchi verba: Πρίαμος Πολύδωρον ἐξέθετο εἰς Θρᾴκην μετὰ χρυσίου πρὸς Πολυμήστορα τὸν γαμβρὸν, *Priamus Polydorum miſit in Thraciam cum theſauro ad Polymneſtorem generum*. Ac præter iſtiuſmodi teſtimonium, quis neſcit, ſi vel paullulum hiſtoriæ Veterum ſtuduerit, Polymneſtorem hoſpitem, amicum, atque adeo generum Priami fuiſſe; ac propterea illius fidei filium, & aurum commiſiſſe? Ancilla igitur Regem notum adibat, amicum, affinem Hecubæ, qui menſæ ejus ſæpe interfuerit, ipſa Hecuba teſte ver. 793. κοινῆς τραπέζης πολλάκις τυχὼν ἐμοὶ, h. e. *qui mecum fuit ſæpe ejuſdem menſæ particeps*. Quare ego non inepte paullo ante dixi, Regem illum ancillæ fuiſſe fortaſſe etiam de facie cognitum; ſiquidem in domo Priami haud ſemel eum hoſpitio exceptum videre potuit. Thrax igitur rei, quæ de Polydoro a ſe interemto evenerat, ignarus, dicto audiens ad Hecubam, hoc eſt, ad affinem cum filiis ſuis proficiſcitur. Miraris, quinam factum fuerit, ut *Rex barbarus*, *Græcos metuens*, *quod certe debebat*, *ad unius ancillæ appellationem*, *nullo munitus immunitatis pacto*, *integro exercitui hoſtili*, *victori*, *cum liberis ſe permiſerit*. Proh pudor! quæ te tanta amentia (parce quæſo verbo) impulit, ut ita ſcriberes? Quid opus erat *immunitatis pacto*, ut tuis verbis utar, ſi Græcorum exercitus eum tanquam amicum habebat? Euripidem tam acriter in hac Tragœdia allatras, &, ut præ te fers, Tragœdiam ipſam vel non legiſti, vel ſi legiſti, σύστασιν rerum, quæ in illa aguntur, non intellexiſti. Nonne ver. 857. legitur:

> Τὸν ἄνδρα τοῦτον φίλον ἡγεῖται στρατὸς,
> Τὸν κατθανόντα δ' ἐχθρόν.........
> *Virum iſtum* (Polymneſtorem) *amicum ducit exercitus*;
> *Hunc autem* (Polydorum) *inimicum*.....

Efflagitanti Hecubæ ab Agamemnone opem, ut pœnas

nas de Polymneſtore ſumat, reſpondet Agamemnon, hac in re eſſe quod formidet, quodve jubeat, ſe caute gerere; quoniam exercitus veluti amicum Regem Thraciæ exiſtimabat; Polydorum vero, quippe qui filius erat Priami, hoſtem reputabat. Quod magis magiſque evincitur ex verbis ipſius Regis Thraciæ ver. 982. προσφιλὲς δέ μοι στράτευμ' Ἀχαιῶν, *amicus eſt mihi Achæorum exercitus*. Vide quam perſpecte ſcripſerit Noſter, hunc Thraciæ Regem tanquam amicum Græcorum exhibens, ut nemo admiretur ſi ἀσφαλῶς ϗ ἀδεῶς exercitum adit. Miſeret me tui, o Tragice præſtantiſſime, qui etiamſi tantum operæ atque ſtudii in Tragœdiis tuis contexendis collocaveris; tamen inſcitiæ & ἀβλεψίας inſimularis in iis etiam quæ ſunt diligenter elaborata, ſuis abſoluta numeris, nullaque ratione improbanda. Doleo vicem nunquam ſatis lugendam litteratorum hominum, qui cum diu multumque operibus ſuis inſudarint, iniquum rerum æſtimatorem nacti, loco laudis, dedecus & ignominiam ſibi ex tot laboribus pariunt. Sed quid tantopere queror? Ab his laudari contemtus eſt, contemni laus. Abripior identidem a via juſta quadam indignatione commotus; at cum id invitus prope faciam, ſciens prudenſque mihi tempero, ſedatoque animo propoſitum urgeo. Expendamus itaque octavum Euripidis peccatum.

Octavum, quod notamus (ita ſcribis) *eſt illud: Interroganti Hecubam Thraci, quare liberos quoque voluerit adeſſe, reſpondet hæc, ideo ut gerendorum teſtes & conſcii eſſent, memoriamque loci, quo theſaurum fingebat abſconditum, ſi quod ipſi contingeret humanum pati, conſervarent; qui tamen infantes adbuc dum erant, ulnis geſtatiles, ut ex ver.* 1158. *patet; adeoque fini, quem intendebat Hecuba ſcilicet, inepti*. Eſt, cur tua fata doleas, o Lipſienſis eruditiſſime, quod ſemper in his te cogitatio fallat. Leviſſime Fabulam hanc, ut videtur, excuſſiſti, examinaſti; ſiquidem, ut videtur, non intellexiſti, hæc omnia callide ficta fuiſſe ab He-

cu-

cuba, ut palpum imprudenti Polymneſtori obtruderet, verbaque daret. Finxit Trojæ alios eſſe theſauros, de quibus eum volebat, & filium Polydorum certiorem facere. Interrogat Rex, quid opus erat, ut adeſſent etiam filii. Reſpondet ſubdole Hecuba, ſe id eo conſilio feciſſe, ut ſi diem ipſe obiiſſet ſuum, ſcirent illi, ubi eſſent theſauri. Finis itaque, quem ſibi propoſuerat Mulier, non erat, ut revera Polymneſtoris filii ſcirent quidpiam de theſauris, quos, decipiendi cauſſa tantummodo, comminiſcebatur. Quid igitur tu commemoras finem, qui nullus erat? Non enim iccirco arceſſiverat etiam filios, ut illos certiores rei faceret; ſed ut eos interficeret; quapropter quæ dixerat mulier, erant omnia ad fallendum Regem confiEta. Porro nolim exiſtimes, omnes filios Polymneſtoris ea puerili ætate fuiſſe, ut ulnis geſtarentur. Non puto te credere omnes perinde, ſive duo, ſive plures fuerint, eandem ætatem habuiſſe; ſed alter altero natu grandior, niſi ex uno utero eodem die editos fingamus, fuerit neceſſe eſt. Quare mulieres ἔπαλον illum, qui puerulus erat; alterum vero, ſi duo tantummodo erant, qui facile ad eam ætatem pervenerat, qua probe ea, quæ dicebat mulier intelligere & memoria tenere poterat, mulieres ipſæ in admirantis & blandientis ſpeciem aſpicientes, altera alteri illos tradebat, ut ita vafre longe abriperent a latere patris, & ſic commodius eos interficerent. Quod autem Polymneſtor dixerit ἔπαλον τέκνα, quamquam id factum de uno credamus, nihil eſt mirum. Nam cæcus Rex & vehementi ira commotus illud dixit, quod magis calliditatem, dolumque malum illarum mulierum patefaciebat. Sed de his etiam ſatis. Videamus nunc quodnam ſit nonum Euripidis peccatum.

Nonum eſt, inquis, *quod fingit, Thracem cæcum, dum audit Græcum aliquem loqui, ſtatim agnoſcere, eum Agamemnonem eſſe, quem non tantum non viderat unquam, ut probabile eſt (hoc enim ad rem non facit) ſed*

ſed neque audiverat; nullaque ipſi erat ratio, quare Agamemnonem magis, quam Ulyſſem, aut alium Græcum adeſſe conjectaret. Miraris & hic, quinam Rex Thrax Agamemnonem, audita voce, cognorit? Cognovit quidem, nec temere, aut forte fortuna cognovit; ſed ſciens prudens, ac certo. Quod, ut credamus duæ res potiſſimum faciunt; altera eſt, quia in tentorio ſuo (nam Hecuba in tentorio erat Agamemnonis, ut ex ver. 53. & ex aliis, ſit compertum), magnaque auctoritate de exercitu, de quo ſeſe oſtendebat ſollicitum, loquens Agamemnon, ſatis clare indicabat, ſe ducem exercitus eſſe, & rerum arbitrum: altera eſt, quia eum ſtatim amicum appellat, ὦ φίλτατε; ſi amicus, igitur notus, & jam de facie & auditu cognitus, quia apud ipſum erat. Amicum autem Polymneſtorem Agamemnonis fuiſſe, non eſt cur dubitemus. Nam paullo ante vidimus, Græcorum exercitum eum tanquam amicum habuiſſe; ſi exercitus, multo certe magis exercitus Dux ejus amicus neceſſe eſt dicatur fuiſſe. Si amicus, quid eſt propius, quam ut credamus, Polymneſtorem, cum ad amicum exercitum acceſſerit, comitatis & amicitiæ gratia, ipſum ducem Agamemnonem adiviſſe? Hæc enimvero, quamvis a Tragico non dicantur, ex re ipſa fiunt manifeſta. Quocirca nullum eſt & hoc, quod fingis in Euripidem, peccatum. Decimum tandem refellamus, quod hujuſmodi eſt.

Decimum & ultimum proferemus hoc, nos non videre ad quod Tragœdiæ genus hæc referenda ſit, & quis ſcopus in ea edenda Poetæ fuerit. Initium ejus lugubre eſt. Cadit inſons Polyxena ſolo eo titulo rea, quod Troas eſſet. Finis eſt tantum non lætus. Punitur enim impius Thrax. Atqui peccatum id eſt in artis dramaticæ leges, quas ſanxit perſpicaciſſimus Ariſtoteles, e cujus mente non utentur ſiniſtra fortuna innocentes omnino; hoc enim execrabile eſt, neque movet commiſerationem; neque impii prorſus. Meritas enim, qui pœnas

luunt

luunt gaudium, non miſerationem in animis ſpectatorum excitant; ſed infelices ſunt neque boni, neque mali, ſed medii ordinis homines ἐμπαμφοτερίζοντες. *Si præmiſiſſet Euripides punitum Thracem, & finiiſſet Fabulam in cædem Polyxenæ, tolerabilius fuiſſet. Sic certe ſpectatores valida vivaque plenos miſeratione dimiſiſſet, qui affectus ipſi ſecundum eam, quæ nunc eſt Dramatis diſpoſitionem, fere fuit emortuus*. Si unquam alias, modo hercle, o mi Lipſienſis ornatiſſime, vera fateris, *te non videre ad quod Tragœdiæ genus hæc referenda ſit, & quis ſcopus in ea edenda fuerit*. Nimirum tuis oculis hæc Fabula apparet, non Tragœdia; ſed monſtrum quoddam Tragœdiæ frigidum, exſuccum, ineptum. Univeſa τῶν πραγμάτων σύστασις peſſime ſe habet, non cohæret, inconcinna eſt; alia erat ratione contexenda, diſtribuenda, ordinanda. O præclariſſimum Virum, qui etiam artis magiſtros docet! *Scommatis* ego non delector, neque contumelias dico; ſed vide, ne alii te *ſcommate* illo proſcindant, quod in proverbio eſt, ὗς τὴν Ἀθηνᾶν. Ego libentius te excuſem, eo quod jam fatearis, *te non videre*, hoc eſt, cæcum eſſe; ſiquidem non vides quæ clariſſima ſunt, & quæ alii ſuiſmet oculis uſi perſpexiſſe ajunt. Vidit certe Eraſmus, intelligis quem virum dico, & quam eruditum, qui de hac Fabula magnifice ſentiens, eam tanquam pulcherrimam latinis verſibus reddere voluit. Vidit Stiblinus, qui in eam ita præfatur: *Hæc Fabula propter argumenti tum varietatem, tum pluſquam Tragicam atrocitatem, jure principem locum tenet*. Vidit P. Brumoy, quem neſcio quanti tu æſtimes; eum equidem ego virum reputo ſua laude digniſſimum, qui cum annotaſſet, hanc Tragœdiam non nihil in eo deficere, quod in ea, ut dicemus, duplex actio videatur poſita, addit: *Le Tragique ſingulier de ce Poeme efface tout cela dans l' eſprit de ceux qui ne ſont pas prevenus contre les Anciens*. Viderunt alii præclariſſimi Critici, quos, ne omnes enumerando re-

cen-

cenſeam, prætereo, qui hanc Tragœdiam mirifice commendarunt. Quid vero ſibi propoſuerit Poeta Athenienſibus oſtendendum plane conſtat ſedulo conſideranti. Hecubam omnium ante, cum res ſtabant Trojæ, feliciſſimam, ita adverſis fatis, ingruentibus quotidie magis calamitatibus, afflictam atque vexatam exhibet, ut neminem prope mortalium majoribus affligi poſſe cognoſcamus. Qui exitus in Tragœdiis eſt uſitatus, cum Heros ex priſtina felicitate in adverſam omnino fortunam labitur, & uſque eo labitur, ut ad extrema tandem miſeriarum perveniat. Sic in hac Fabula fit, cujus exitus eſt prorſus lugubris, ſpectata Hecuba. Nam quamvis de Polymneſtore pœnas ſumat; tamen eadem a ſpectatoribus habetur, quæ erat, h. e. omnium infeliciſſima. Ille etiam porro eſt exitus Tragœdiarum, ut Vir proſpera fortuna nefarie & inique parta utens, tandem pœnas det ſceleris; quoniam his duobus continetur Tragœdia, & ut commendetur virtus, & ut ſcelus puniatur. Itaque Tragœdiarum finis aliquando etiam eſt lætus, cum Heroes, immutatione facta rerum, præter exſpectationem atque ſpem, ut Iphigenia in Tauris, ex calamitatibus evadunt, & læti feliceſque fiunt. In Hecuba, ſi ſollerter conſideres, finis eſt omnino triſtis; ſic tamen ob pœnas Polymneſtori irrogatas, comparatus, ut varia πάθη in ſpectatoribus commoveat. Nam vehementi miſeratione Hecubam proſecuti, hoc unum, veluti quoddam tanti doloris levamentum, percipiunt, Thracem jure luiſſe impii nefariique ſceleris pœnas. Præceptum vero illud, quod affers, Ariſtotelis, ne inſontes omnino ſiniſtra fortuna utantur, non es, ut video, probe mente aſſecutus. Verum quidem eſt, cum in Tragœdiis virtus ſit laudanda, præmioque afficienda, παρὰ πρέπον eſſe, atque adeo execrabile exhibere inſontem ſiniſtra fortuna oppreſſum, quaſi virtus ipſi infortunium & calamitates pepererit. Nam virtus ſibi & innocentia damna non comparat; ſed ex aliorum

ſcèlere fit, ut probus atque innocens vexetur. Quapropter ſi innocens Hippolytus damna & mortem patitur, ex aliorum fit improbitate, nec id illi virtus peperit. Immo, quia inſons affligitur, egregia ejus virtus laudatur. Sic Polyxena ſibi damna non comparavit, nec illius innocentia calamitatem tantam concivit; ſed in cauſſa fuit nimius ille, neque certe laudandus in Achillem amor Græcorum, qui, ſibi in vivis deſponſam virginem poſtulanti viro de Græcis ipſis optime merito, eam immolare non detrectarunt. Quod tamen facinus in hac Tragœdia non eſt a nobis damnandum; quoniam nos pro hiſce noſtris moribus & vivendi ratione, nequimus cognoſcere quid Athenienſes deceret, quidve populis illis probaretur qui iſtiuſmodi Tragœdiis mirum in modum delectabantur. Quare belle huc pertinet illud, quod P. Brumoy de mactata Polyxena dixit: *Si l' on trouve*, inquit, *de la cruautè dans ces ſacrifices, il faut ſe placer du moins dans la ſituation où ètoient les Grecs à qui la ſuperſtition & la politique les rendoient comme neceſſaires*. Hinc ego nihil magis in cauſſa eſſe video, o laudande Lipſienſis, cur a te, & ab aliis, ſi qui ſunt, adeo facile Tragici veteres reprehendantur, quam quod Tragœdiæ Veterum ad hujus noſtri temporis & morum conditionem tanquam accomodatæ conſiderentur. Aliud ingenia illorum populorum, aliud illorum Reipublicæ adminiſtratio poſtulabat. Quod enim indignum, indecorum, ineptum nobis videtur, honeſtum, ſolemne, & accomodatum illis videbatur. Quod illorum requirebat religio, noſtra reſpuit. Nonne vides in mactanda puella ſibi parare laudem putaviſſe Græcos, ut ex ipſa Ulyſſis oratione patet? Omnia Tragici ad commendationem Græcæ gentis, atque in primis Athenienſium referebant. Hinc oſtenditur Agamemnonis Græci hominis integerrimi juſtitia, qui adverſus Polymneſtorem Hecubæ favet. Quod totum in laudem cadit Græciæ. Longa eſſet mihi ad-

hibenda oratio, ſi de his dicere vellem, atque demonſtrare, nihil imperitius fieri, quam de Veterum Tragœdiis judicare, ſi quid ea ætate decebat, quid dedecebat, quid illorum publica adminiſtratio, quid religio, quid mores efflagitarent, diligentiſſime non expendantur. Nam Viri illi ita plane afficiebantur, ut erant natura comparati, & moribus præditi. Quod certe ad noſtrum ingenium, & mores uſquequaque accomodari non poteſt. Præterea iſtud eſt animadvertendum, Ariſtotelem, qui canonas & regulas hujuſce artis tam accurate diligenterque tradidit, perinde Tragicum nobis exhibuiſſe, ac Oratorem Cicero, perfectum, ſuis numeris abſolutum, quem ſane deſcribere atque imitandum proponere facile eſt, talem vero fieri, difficile admodum, & pene impoſſibile. Artis ſemel inventæ tradere regulas, quæ eam dent abſolutam prorſus, ingenio & verbis poſſumus, eas vero revera exequi omnino, & ut dicitur, in unguem, non poſſumus. Cedo Oratorem, qui talis fuerit, qualem præcepta artis requirunt; & ego dabo itidem Tragicum. Si, ut hactenus dixi, cogitata re, quis Tragicos veteres, & præſertim Euripidem noſtrum perlegerit, videbit, quid ſit viro dandum ea ætate ſcribenti, ſcribentique apud populum moribus a noſtris longe diverſis innutritum. Hæc attente conſideret neceſſe eſt qui vera & probabili Critice in rebus hujuſmodi uti cupit; alioquin ridiculus ſit. Quod ad peccata Euripidis attinet, o mi Lipſienſis χελπκώτατε, ſatis mihi dixiſſe videor, ut ab ea invidia, quam injuſtiſſime conflaras, eum liberarem. Ceterum ad illa, quæ tu veluti pro cumulo rei tantæ addis, hoc eſt, *Forte alia plura poſſent ab acriore judicio, & attentiore Lectore in hac Fabula detegi minus recta, ἁμαρτήματα μιμητικὰ, improbabilia; ſed habebunt Euripidis patroni ſatis quid agant, ſi propoſitos a nobis nodos digne reſolvere, & hæc tela eo, quo par eſt, elenchi robore retundere velint*: ad hæc, inquam, ut finem tandem

&

& ego pro ipſo Euripide dicendi faciam, dico, te uſque eo parum acrem, parumque attentum lectorem fuiſſe, ut quæ non erant, quemadmodum demonſtravimus, tibi viſa fuerint peccata; ea vero te latuerint, quæ facile a legentibus conſpiciuntur, & quæ quadantenus in Tragico reprehendi poſſunt, danda tamen & hæc homini tanto ac tantopere a Veteribus, & a tot ſæculorum memoria laudato. Primum quidem videtur παρὰ πρέπον Hecuba jam ferme triſtitia confecta, atque doloribus obruta petere a Talthybio mortem annunciante filiæ, ut ordine ſibi exponat omnia, quæ in mactanda puella facta erant. Siccine mater audire cupit quæcunque in filiam fuere patrata facinora? Hoc videtur refugere matris animus. Quod ſane vidit Euripides, & ut τὸ πρέπον quodammodo ſervaret, verba hæc in ore Hecubæ poſuit ver. 517. εἰπὲ, καίπερ ὐ λέγων φίλα, *dic, quamvis non grata dixeris*. Tragicus, cui pulchrum videbatur, & miſeratione plenum enarrare quomodo Polyxena forti animo ac modeſte ceciderat; ac ea exponere, quæ Manibus Achillis dixerant Græci, induxit Hecubam petentem, ut ſibi hæc Nuncius patefaciat. Nec fruſtra, quia hac in narratione quidpiam ſolatii capit mater audiens laudem, quam ſibi puella ſuimet animi conſtantia comparavit, atque adeo funebrem rogum, quem magnifice Græci, volentibus omnibus, ſingulisque & univerſis in id unum incumbentibus, ut magno illam honore proſequerentur, extruxerant. Ex quibus facile colligitur, quam perite Euripides, ſi quid videbat minus fortaſſe probabile factum ſpectatoribus, quibus ut placeret omnem dabat operam, acceſſione facta rerum, & verborum, non improbabile redderet. Diſplicet etiam, Philoſophantem non ſemel audire in hac Fabula Hecubam, præterque morem mulieris ſapere. Quod certe minus hodie pateremur. At danda eſt venia Tragico, qui non modo maximopere Philoſophiæ, docente Anaxagora, ſtuduit; ex quo fiebat, ut veluti αὐτομάτως ex ore ejus

Philoſophica fluerent; ſed etiam moribus illorum inſervire volebat. Erant Tragœdiæ διδακτικοὶ, & Tragici vitæ inſtituendæ magiſtri. Quare Athenienſes non ægre ferebant excipere doctrinas vivendique præcepta quovis modo ex Dramatis, quæ jam a docente Poeta proficiſci intelligebant. Hinc factum eſt, quemadmodum puto, ut Græci dicerent διδάσκειν δρᾶμα, quod Cicero dicit Græcos imitatus *docere Fabulam*. Docebant quidem ſuis Dramatis Poetæ, & γνώμας identidem, ac moderandæ vitæ canonas proponebant, quibus alacriter auſcultare conſueverant populi. Quare hæc in ore etiam mulieris, non cujuſvis, ſed quæ heroina eſſet, & regali genere nata, aut quæ Chorum duceret, cujus erat officium defendere virile, virtutemque commendare, non diſplicebant. Demum te illud præterivit, quod in omnium legentium oculos incurrit, hoc eſt, hanc Tragœdiam unitate quodammodo carere actionis. Nam quod de Polymneſtore fit, videtur non ex Fabula natum; ſed extra adſcitum, & additum. Si quid eſt, iſtuc mehercle eſt, quod aliquo pacto non injuria reprehenditur. Verum enimvero in hoc etiam eſt Euripides excuſandus; ſiquidem videtur Tragicus voluiſſe τὴν καταστροφὴν infelicitate cumulare, & omnium infeliciſſimam exhibere. Cum enim miſerrima Mulier & libertatis jacturam, & aliorum filiorum feciſſet, hæc illi Trojanæ gentis iterum inſtaurandæ reliqua erat ſpes in Polydoro poſita, qui cum ingenti theſauro fidei Polymneſtoris fuerat concreditus. Mors itaque Polyxenæ, & porro interitus Polydori nefario ſcelere interemti, & ultio adverſus Thracem peracta veluti cumulum calamitatum faciunt. Hoc ego dico, ut ingenue fatear illud, quod quis in hac Tragœdia notare poſſet probanda Critica uſus. Ceterum illud pro certo ſtatuendum puto, ne hoc quidem, quod nobis παρὰ πρέπον videtur, ita viſum fuiſſe populo Athenis, ubi Fabulam docuit Noſter. Populus namque ille, ut erant Fabulæ ad docendum

fa-

factæ; ea tantummodo tanquam improbabilia reſpuebat, quæ prorſus improbabilia cognoſcebat. Sic ſpectatores exſibilarunt illud Carcini, qui inepte inducens Amphiaraum e templo exeuntem, eos fefellerat; ſiquidem hominem exiiſſe non viderant. Quare iſtuc jure, ut improbabile reprehenſum, & exploſum fuit. Hactenus de Euripide dixi, plura dicturus, ſi quid erit in eum temere & futiliter animadverſum. Jam paſſim in Tragœdiis a nobis Italice redditis, patrocinio Tragici ſuſcepto, quicquid adverſus ingeritur, diluo, non propterea ſane, quod partium ſtudio delecter; ſed quod videam par eſſe, ſi veritas, quæ una eſt tenenda, non obſit, tanti Viri dignitatem aſſerere atque vindicare. Quæ cum ita ſint, intellige, præſtantiſſime mi Lipſienſis, nullius prope negocii mihi fuiſſe, hoſce tuos nodos non reſolvere modo, ſed penitus tollere, & hæc tua tela, robuſta admodum oppugnatione, retundere. Nunc vero de me dicturus alacrius in arenam deſcendo; quandoquidem experto mihi jam vires, & imbecillitate τοῦ ἀνταγωνιστοῦ cognita, certam ego victoriam polliceor.

PARS ALTERA.

CUm primum conſilium cepi edendi Euripidis Tragœdias, nihil aliud, candide dico, in animo habui, quam ut Tragici hujus Italicam interpretationem Italis darem, & ita darem, ſi tantum fuiſſet in me ingenii, ut & mentem Græci ſcriptoris aſſequerer, & probabili quadam, nec omnino invenuſta italica dicendi ratione uſus utilitatem legentibus pro rerum ipſarum conditione parerem, & moleſtiam legendi levarem. Ac equidem vidi ex voto cecidiſſe rem; quoniam plures æqui rerum æſtimatores non modo inceptum meum laborem æqui bonique facere; ſed etiam animos mihi, ut tantum inſtitutum opus exædificarem, dare cęperunt. Quare ego fauſto eorum omine in ſpem bonam erectus, & ſuffragio fretus in ſuſcepta re libentius operam poſui, & italice non ſolum & Græce Euripidem noſtrum edere, ſed annotationibus quoque, ut inſtitueram, illuſtrare perrexi. Qua in re illud mihi non conſtitueram, ut juſtum commentarium conſcriberem (aliam enim eruditionis ſupellectilem comparaſſem, eaque præſtare conatus fuiſſem, quæ in hujuſmodi rebus præſtanda videntur) ſed ut varias dicendi formulas, variaſque lectiones pro viribus expenderem, & cui adhærerem, cui non, & quod appoſitum mihi magis, quod minus videretur, breviter patefacerem. Certe quidem, cum varie identidem a Criticis legatur, erat mihi, qui italice Græca reddere ſuſceperam, diligenter animadvertendum, quid amplecterer, quid reſpuerem, quomodo, mea aliquando conjectura uſus, legendum putarem, ut in hac potius, quam in illa lectione conquieſcerem. Sed quid plura commemoro? Quicquid ego præſtiti & προλεγομένοις pluribus, & annotationibus variis eo conſilio præſtiti, non ut capaciſſimas quorundam aures implerem,

qui

qui magno ſupercilio res quaſque aſpiciunt, nihil niſi induſtria maxima elaboratum, nihil niſi eo ingenio dignum, quo ipſi ſibi ſupra hominum conditionem ſapere videntur, admittunt, probant, laudant; ſed ut placerem illis, qui & ſapientia ad judicandum, & benevolentia ad excipiendos eos humaniter, qui de litteris bene mereri pro virili parte contendunt, non carent. Hinc Italiæ viris optimo cœlo natis, & ad politiores litteras & humanitatem excultis dedi Græce ſcriptas, dedi italice redditas Euripidis Tragœdias non invitis, non reſpuentibus; ſed avide legentibus, approbantibus, ſi non ſingulis & univerſis, quod nimium eſſet obtinere, majori ſaltem ex parte, iiſque præſertim, qui mea amare ſolent; quibus ſi fecero ſatis, uberem fructum mihi videbor percepiſſe induſtriæ meæ, & operi non pœnitendo inſudaſſe. Nec hercle velim quiſpiam putet, minimi momenti eſſe, minimique laboris Græca hæc italicis verſibus transferre. Nam in Choris præcipue Euripides eo ſtilo utitur, qui fabulis hiſtoriiſque implicatus, & abſtruſioribus dicendi formulis conſcriptus, haud ſecus prope, ac in Pindaro legimus, tantum negocii legentibus faceſſit, ut vix plerunque ex tot anfractibus, unde efferantur pedes, habeatur. Hæc vero ea ratione italice reddere, qua & univerſa intelligantur, & italica locutio ſatis nitida ſervetur, tam difficile & operoſum eſt, quam quod maxime. Quapropter ſi labori tanto non peperci, ſi quantum fuit in me virium in re admodum ſalebroſa collocavi, ſi quod optimum eſt, facere contendi, contendiſſe ſaltem in aliqua laude, nolente nemine, eſſe deberet. Sed mihi inepte blandior, communia omnium Scriptorum fata ſubeo, magnumque Criticum nanciſcor, qui ſevere quod eſt a me peccatum, caſtigat. Atque ſane, me peccaviſſe cur negem? peccare namque plurima cogor, ſi quidem homo ſum, & quod miſerius eſt, longe minimo ingenio præditus. Fero igitur haud ægre ob hominum

conditionem, fero non gravate ob meam ingenii tenuitatem me erroris poſtulari, cauſſam non dico; atque adeo iis, qui mea jure, ingenuoque veritatis ſtudio, ut decet litteratos viros, corrigunt, laudes grateſque ago. Sed concoquere nequeo, Ariſtarchos quoſdam ita eſſe natura comparatos, ut apte inepte, vere falſo de re quavis judicent, & viris quibuſdam dicam impingant, laudemque multo ſudore & diligentia partam abripere, maxima injuria, velint. Hujuſmodi fere ſunt qui e re ſua eſſe arbitrati, ſi aliena carpant, toti eſſe conſueverunt in conflanda invidia viris ſua laude digniſſimis. Verum ut ut ſe res habeat, nolo id genus hominum criminari. Jus meum tantummodo perſequor, & me a calumnia viri Lipſienſis, qui Acta eruditorum conſcribens anno 1748. & Euripidem ipſum, & me in Hecuba perſtrinxit, vindico, & ut decet hominem, qui in hac florentiſſima Patavina Academia ſuam ſpartam, non invito Apolline, ornat, mei nominis exiſtimationi famæque conſulo.

Primum igitur pro tua ſumma in me humanitate inſtitutum meum laudas. Ita nimirum tibi benevolentiam paras apud lectores tuos ſatis acute arguteque, quaſi animum feras ab omni invidia vacuum, quod ſuum eſt, cuique tribuens. Gratulor itaque ego mihi, quod, ut minimum, non ineptam rem faciundam ſuſceperim. Neque ſane ſine laude ſcribentium eſt deteriora reſpuere, meliora ſequi, præſtantiora ſectari. Sunt enim qui ipſo librorum titulo, ipſo argumento rei pertractandæ, oſtendunt, ſe inopes eſſe mentis, inopeſque acuminis, & tanquam ſtipites exſuccos. Nos igitur ſaltem ex hac parte inepti non ſumus, te maximo Viro teſte. Quid plura? dubitare non licet, tute dixiſti. Sed iſtuc nobis parum vertitur laudi; ſiquidem alias peccavimus. Audiamus hæc peccata, & ſingillatim ea, tanquam imperitiſſime conficta, diluamus.

Præ-

Præcedit, inquis, *primo volumini (ſingula enim volumina ſingulas fabulas continent) vita Euripidis a Noſtro italice deſcripta, & poeſeos dramaticæ commendatio, ubi inter alia Euripidem cum Sophocle comparat, & huic iſtum, quod ſupra attigimus, anteponit, Ariſtotelis maxime, & Quintiliani niſus teſtimoniis, quorum hic Orator. Inſtitut. lib.* 10. *cap.* 1. *attribuit Sophocli* μεγαλοφωνίαν, λογιότητα, & φύσιν; *Euripidi vero* κωμολογίαν, σοφίαν, & πάθος. *Noſter in his vocem* λογιότητα *pro eloquentia cepit, qua in re multum fallitur. Hæc enim vox, quandoquidem opponitur* τῇ σοφίᾳ, *nihil aliud notat, neque notare poteſt, quam naturalem, rudem, ſimplicem, vulgo quoque familiarem ratiocinandi, morumque præceptis imbuendi rationem ;* ἡ σοφία *vero artificioſam, ſublimiorem, e Philoſophorum ſcholis petitam arguendi viam, & morum doctrinam*. Proh Deum hominumqne fidem, quid iſtoc hominis eſt? Quid tibi venit in mentem, o Lipſienſis? Poteſt ne quidpiam dici ineptius, excogitari imperitius? Primum tu ipſe turpiter falleris, qui ſcribis, *quorum hic Orat. Inſt. lib.* 10. *cap.* 1. *attribuit Sophocli* μεγαλοφωνίαν &c. Hæc Quintiliani non ſunt, neque illius ego eſſe dixi. Alii Critici ſunt, qui hæc Sophocli & Euripidi tribuunt. Quod ego ſcripſi non intellexiſti. Qua in re tamen tibi eſt parcendum, hoc eſt homini Italicæ linguæ imperito; ſed tibi erat cavendum, ne de iis ſcriberes, quæ minime intelligis. Quintilianus tibi erat legendus, ut quid de Sophocle, & Euripide dicat, tuis oculis cerneres. At, ita ſoles, dicere temere. Quid porro ais, *me multum falli*, quia λογιότητα explico *eloquentiam*? Falluntur *Lexicographi*, noſque fallunt, igni devovendi ſunt eorum libri, qui Græcam linguam addiſcentibus tam imperite imponunt explicantes λογιότητα *eloquentiam*. O tuam inſcitiam (ne ſuccenſeas mihi oro obteſtorque, ſi ita loquor, loquor namque laceſſitus, loquor erroris injuſtiſſime inſimulatus) o tuam inſcitiam, inquam, nunquam fando auditam!

Vos;

Vos, vos appello, Lipſienſes eruditiſſimi, ad quos propterea hanc meam ἀπολογίαν miſſam volo, ut vos pro veſtra ingenii ſollertia judicetis, quam putide fallat Vir iſtic, qui tam confidenter & inconſiderate ſcribit λογιότητα non ſignificare *eloquentiam*; *ſed rudem*, *ſimplicem*, *& vulgo familiarem ratiocinandi*, *præceptiſque imbuendi rationem*; atque præterea τὴν λογιότητα, *&* σοφίαν *opponi*. Quid, malum! non oppoſita hæc ſunt; ſed diverſa. In diverſo enim dicendi ſcribendique genere Sophoclem & Euripidem excelluiſſe inter omnes omnino convenit. Quapropter ſapientiſſimi Criticorum λογιότητα h. e. *eloquentiam* Sophocli, σοφίαν Euripidi, h. e. *Philoſophandi rationem* tribuunt. Quæ ita ſe habere, audi, mi Lipſienſis ornatiſſime. Inſtituta fuit quondam a veteribus inter Sophoclem, & Euripidem comparatio, & cum omnibus par pene laus, ut ait Cicero de Oratore, in diſſimili ſcribendi genere tribuatur, inter alia τὴν λογιότητα Sophocli dedere Critici, hoc eſt, illam dicendi ſcribendique eloquentiam & granditatem, qua ſemper Sophocles excellere eſt viſus. Quare Quintilianus lib. 10. cap. 1. (& hæc ſunt Quintiliani, non ea, quæ deceptus, & mea non intelligens dixiſti) ut oſtendat & hanc laudem quodammodo ſibi aſſerere poſſe Euripidem, ait: *Namque is* (Euripides) *& in ſermone* (*quod ipſum reprehendunt*, *quibus gravitas & cothurnus & ſonus Sophoclis videtur eſſe ſublimior*) *magis accedit oratorio generi*, *&c.* Quod refertur ad illud, quod ſcripſit Virgilius: *Sola Sophocleo tua carmina digna cothurno*. Hinc illi, qui partes Euripidis tuentur, quamquam fateantur, Tragicum hunc ad ſublimitatem & eloquentiam Sophoclis non aſſurgere; in Choris tamen id laudis tribuendum illi eſſe putant. Omnes procul dubio invenies Sophocli tribuere granditatem dicendi. Audito Voſſium: *Eſt ſane*, inquit, *ubi vincat Sophocles*; *eſt ubi vincatur*. *Sophocles enim eſt* φιλυπέρβατος, *Euripides* φιλοσώδετος. *Hic ciendis affectibus & ſententiarum gravitate*: *ille vincit*

ſu-

ſublimitate dictionis, & οἰκονομίᾳ. Quæ Voſſii verba nituntur, ut video, teſtimonio Plutarchi, qui de gloria Athenienſium differens ait, στόμα *demus Æſchylo*, λογιότητα Sophocli, σοφίαν Euripidi. De Sophoclis & Euripidis dicendi genere diſerte loquitur etiam P. Brumoy hoc modo: *Sophocle entendit bien mieux la veritable nobleſſe de la diction du Theatre. Auſſi imita-t' il de plus près celle d' Homere, en verſant ſur ſon ſtyle, outre la douceur du miel, ce qui le fit appeller une abeille, aſsèz de gravitè pour donner à la Tragedie l' air d' une Matrone obligée de paroître en public avec dignitè, comme s' exprime Horace. Euripide prit un ſtyle moins eloignè de l' uſage ordinaire, quoique noble; & il parut aimer mieux y rependre de la tendreſſe, & de l' elegance, que de la force, & de la grandeur.* Vide ex his, ſi ἡ λογιότης, quæ Sophocli tribuitur, non ſit pro *eloquentia & facundia* explicanda. Sed videamus alia. Deinde iterum laudatus Criticus de Æſchylo, Sophocle, & Euripide inſtituens ſermonem ait: *Le premier, come l' inventeur & le pere de la Tragedie eſt un torrent, qui roule a travers les rochers, les forêts, les precipices. Le ſeconde eſt un canal qui arroſſe des jardins delicieux; & le troiſiéme, un fluve qui ne ſuit pas toujurs ſa courſe de droit fil, mais qui aime a ſerpenter dans des prairies emaillées de fleurs*. Atque tandem paullo poſt addit: *Eſchile qui fit eclorre la Tragedie lui donna un air un peu rude, des traits trop forts, une demarche trop fougueuſe, & un port de Geante plûtot que d' Heroine. Sophocle la reduiſit ſelon l' expreſſion d' Horace, que nous avons déja citée, a paroître avec la decence d' une Matrone. Euripide enfin, en lui donnant de nouvelles graces, le fit quelque fois paroître un peu dechevelée, & quelque fois un peu Philoſophe*. Rudis ne aliqua, & vulgo etiam familiaris ſcribendi ratio eſt unquam tributa Sophocli? Immo ſemper contra *eloquentia*, atque *facundia*. Haud ſecus Gravina vir apprime eruditus in Poetica ita de Sophocle italice ſcribit: *La ſublimità del-*

dello ſtile, lo ſplendore delle parole, la novità delle legature, le maniere grandi tanto di concepire, quanto d' eſprimere.... hanno fatto riconoſcere in Sofocle ſenno pari ad un grande imitator e ſaggio amminiſtrator della Repubblica. Ritiene egli la natural ſua maeſtà, quando anche tratta gli affetti più teneri. Vir hic præclariſſimus ceterorum Criticorum inhærens veſtigiis ſublimem vocat Sophoclis ſtilum, ſplendida verba, præclaras non modo cogitandi, ſed dicendi etiam rationes; dicit in omnibus, & affectibus quoque ciendis grandiloquum eſſe; & tu, Lipſienſis, unus τὴν λογιότητα Sophocli tributam *rudem, ſimplicem, vulgo quoque familiarem ratiocinandi morumque præceptis imbuendi rationem appellas?* Omnes omnino Critici eodem recidunt, ut Sophoclem grandiloquum, eloquentem, gravem eſſe dicant, & tu dicis, me falli, qui λογιότητα ei tributam *eloquentiam* explico? Explico, ut omnes explicant: tribuo Sophocli, quod omnes tribuunt: dico, quod omnes dicunt. Tu vero ais, quod nemo unus affirmat; comminiſceris, quod nemo ne cogitavit quidem; das Sophocli, quod nemo dedit unquam. Et hoc eſt Critice uti? & audes me non Criticum appellare? Si ita eſt Criticum agere, Deos immortales omnes, Muſaſque, & Apollinem oro, ut nunquam ego Criticus ſim. Sed de tua, & mea Critica alias. Hæc modo expendamus. Ais, λογιότητα non ſignificare *eloquentiam*. *Lexica* omnia comburamus. Conſule tute etiam tibi, Vir eruditiſſime, qui *Lexicon* Latinum typis Seminarii Patavini accuratiſſime conſcriptum in lucem emiſiſti: nos decipis; ſiquidem omnes Græcos *Lexicographos ſecutus* ad vocem *eloquentia* Græce ſcripſiſti λογιότης. Valde falleris, & fallis, qui λογιότητα, pro *eloquentia* ſumis, & doces ſumendam.

Inſcitiſſimi Vos Critici, qui ſtili granditatem Sophocli tribuiſtis: rudis fuit, & vulgo quoque familiaris ejus ſcribendi ratio. Lipſienſis Criticus dicit. Riſum, ſi poſſumus, teneamus, amici, & ce-

tera itidem inſulſe conficta audiamus.

Diviſimus Hecubæ Drama in quinque actus, ea ipſa ratione, qua illud diviſit, & cetera perinde non ſolum Stiblinus, ſed etiam Barneſius editione illa omnium præſtantiſſima, ſumma cura atque ſtudio a viro Græcis litteris admodum inſtructo Cantabrigiæ anno 1694. in lucem edita. Quam diviſionem ſecutus eſt etiam P. Brumoy in Theatro Græco. Tu vero, o Lipſienſis, qui ſuper ceteros emines litterarum gloria, me carpens, quod ita fecerim, quaſi nullo exemplo aut ratione fecerim, pro tuo maximo ingenii acumine, & ſumma in litteris auctoritate, nullo exemplo, tanquam tu ſolus ſapiens, ſecus eam diſtribuis adeo ut actus ſecundus incipiat a ver. 484. Qua ratione diſtributa fabula, actus primus dimidium prope totius Fabulæ complectitur. Tertius per te actus exorditur a ver. 658. quartus a ver. 953. quintus a ver. 1035. Atque ſic actus quartus 82. verſibus conſtabit. Bellula quidem eſt hæc Actuum diviſio in hunc modum facta, qua primus Actus 484. verſibus contineatur, 82. quartus. O vos Stiblini, Barneſii, P. Brumoy, aliique cæci plane & impoliti, qui hanc elegantiſſimam diſtributionem faciendam non vidiſtis, meque vos ſecutum in errorem induxiſtis! Videor ego mihi, ni fallor, perſpecte cognoſcere, quid in cauſſa fuerit, o præclare mi Lipſienſis, cur quartus actus, verbi gratia, tam incondite, tamque monſtroſe brevem conſtitueres. Nimirum propter Chorum, qui a ver. 1023. uſque ad ver. 1035. μονοςροφικὰ canit. Quod ſane ex eo conjicere licet, quod primum actum uſque ad ver. 484. produxeris, cum per alios & per me quoque, qui eos ſequor, primus actus non finiatur Choro. Perinde enim & in Medea ob Choros feciſti, ut deinde dicemus. Videris tamen rem hanc probe non tenere, nihilque de Choris legiſſe; ſiquidem apud Græcos Chorus aliquando canit, nec tamen intercipit, ſeu conſtituit actum, aliquando perſo-

ſonæ vice Chori quodammodo functæ perinde ac Chorus, canunt, & actus dicitur, qui hac ratione finitur. Ita perite animadverterunt P. Brumoy, & Dominus Vatry. Audi verba: *Le choeur chante quelque fois dans d' autres temps, que pendant les intermedes, les perſonages s' uniſſent quelque fois a ſes chants, & prenant le mot d' Acte*. Hinc fit, ut planum ſatis ac exploratum adhuc non ſit, quomodo revera Veteres Tragici ſuas Tragœdias diviſerint. Certe quidem Ariſtoteles in Poetica nihil de actibus, aut de Choris, qui actus Fabulæ conſtituerent, dixiſſe invenitur. Fecit tamen deinde ipſa res, ut Critici animo cogitarent, quomodo eſſent τὰ δράματα in partes tribuenda. Nam, cum δραματικὰ ſecus, ac Epica, ſuis terminis ſint circumſcripta, & oculis ſpectatorum ſubjici debeant, poſtulant, ut identidem ſpectator recreetur, ne longa audiendi atque ſpectandi moleſtia nimis fatigetur. Quapropter, duce & magiſtro Horatio, qui ita præcipit,

Neve minor, neu ſit quinto productior actu
Fabula, quæ poſci vult, & ſpectata reponi,

omnes artis poeticæ periti τὰ δράματα in quinque actus diſtribuenda ſtatuerunt. Ac quoniam hæc diſtributio ad rem accomodata viſa eſt, in æquas prope partes, quantum per res licebat, quæ in Tragœdiis agebantur, τὰ δράματα diviſerunt. Quare ego & exemplo & re ſatis fretus perinde facere non dubitavi. Neque mihi perſuadebam fore, ut quiſquam eſſet unus; qui non modo diſtributionem hanc in quinque actus tanquam non æque factam rejiceret; ſed in octo etiam actus vellet Tragœdiam non dividere ſane, ſed in fruſta ſecare. Ne ipſe quidem Dominus Vatry, quem ſupra citavi, qui velis remiſque contendit, ut oſtendat plus quam in quinque actus, quicquid Horatius præcipiat, Tragœdiam poſſe diſtribui, uſque eo eſt profectus, ut octo actus commemoraret. Sed in hac re quid eſt opus pluribus? Tibi optio datur, o mi

Li-

Lipſienſis; fac tute, ut tibi lubet: alii, ut ſibi libet, facient. Nos quod fecimus, exemplo fecimus magnorum Virorum, qui in hoc litterarum genere ſunt multa induſtria verſati; ac re ipſa ſuadente fecimus. Tu quod dicis, dicis temere; ſiquidem nullam, cur ita dicas, affers rationem, exemplum nullum. Tandem non eſt, cur de hac re quidpiam laborem; in qua etiamſi peccaſſem, nihil tamen eſſet, cujus me pœniteret. Nam cum ſapientiſſimis, quorum adhæſi veſtigiis, falli, quam tecum ſapere, mallem. De his itaque dicere mitto, & alia, quæ inſcienter putideque injurius in me comminiſceris, refello.

Ad ver. Hecubæ 218. & 219. qui ſunt hujuſmodi:

Γυναι, δοκῶ μέν σ' εἰδέναι γνώμην στρατοῦ
Ψῆφόν τε τὴν κρανθεῖσαν, &c.

ſic ego annotavi: *κραθεῖσαν*] Ita legere ſatius. Nam alii *κρανθεῖσαν*. Ad hæc mea quid tu? hæc: *Sic etiam in textu edidit peſſimo conſilio contra fidem editionum & omnem ſanam rationem. Quid ſit ψῆφον κεκρανμένην non intelligimus. At ſi derivarit a κραίνω prodit inſcitiam rudimentorum Græcæ linguæ, quam ſatis etiam ſequens nota prodit*. Quid? vigilans ne ſomniaſti dum hæc ſcribebas? Tibi ne demandatur ſcribendi Acta Eruditorum provincia? Tu ne eam tibi obeundam ſumis! Miſeri eruditi, qui in tuas incidunt manus, ſi quem animo carpendi legis. Eſt ille,. eſt veluti ſcopus, in quem omnia tuæ inſcitiæ tela expedias. Egone edidi *κραθεῖσαν* contra fidem editionum? Barneſii editio ita habet: Barneſius eadem, ac ego annotavit. *Peſſimo conſilio feci, contra omnem ſanam rationem?* Non te puduit rerum ignarum ita ſcribere? Siccine temere ais, quod ignoras? Græcus Scholiaſtes, Scholiaſtes ipſe legit *κραθεῖσαν*: Scholiaſtes vocem hanc expendit, explicuit. Quid plura petis? Audi, audi, o bone, illius verba: *τὴν κραθεῖσαν*] *κιρνῶ ἐνεστὼς, κεράσω μέλλων, κεκέρακα παρακείμενος, ἐκράθην δεύτερος ἀόριστος, κραθεὶς μετοχὴ* h. e. *κιρνῶ præſens eſt, κεράσω futurum, κεκέρακα*

præ-

præteritum, ἐκρᾶθλω *aoriſtus ſecundus*, κραθεὶς *participium*. Habes unde facta ſit vox κραδᾶσα, non a κρατίω, quod mihi nec ὄναρ venit in mentem. Addis porro: *quid ſit* ψῆφον κεραννύειν *non intelligimus*. Hic invitus verum fateris. Credo equidem te non intelligere; nam præ te fers totam antiquitatem ignorare. Κεραννύειν vel κιρνᾷν ψῆφον eſt *miſcere calculum*, quod ſignificat *ferre ſententiam*, & belle quadrat in Veterum morem. Mos erat Veterum τὰς ψήφους h. e. calculos ſeu lapillos albos atroſque ponere in judiciis ferendis, & in ſortiendis magiſtratibus ſorte calculos ex urna haurire. Albis abſolvebant, atris damnabant: albis magiſtratus obtinebant, atris arcebantur. Sic in ſtatuenda Polyxenæ morte, ut ex ipſa Fabula patefit, Græci puellam partim abſolvebant, partim mactandam cenſebant. Tandem obtinuit Ulyſſes, ut ſuffragiis atris majori ex parte ipſam morti deſtinarent. Hinc appoſite Tragicus uſus eſt dicendi formula ψῆφον κεραννύειν, ſeu κιρνᾷν pro *ſententiam ferre*. Nec eſt, cur hic mihi fortaſſe reponas κεραννύειν, ſeu κιρνᾷν de liquidis dici, ut de vino, aqua, & aliis id genus. Oſtendo etenim exemplo ex Plutarcho depromto ad alia etiam transferri. Plutarchus hæc habet: τελείους δὲ ἀνθρώπους ἡγοῦμαι, τοὺς δυναμένους τὴν πολιτικὴν δύναμιν μῖξαι καὶ κεράσαι τῇ φιλοσοφίᾳ, h. e. *perfectos autem homines illos eſſe reputo*, *qui civilem vitæ rationem cum Philoſophia conjungere queunt*; quo loco vides μῖξαι, & κεράσαι tanquam *ſynonyma* copulari. Præterea ſi cupis dicendi formulam huic, de qua loquimur, oppido ſimilem, lege Herodotum, qui hæc habet: συνεκεράσαντο φιλίην πρὸς Ξέρξεα, h. e. *& amicitiam iniverunt cum Xerxe*. Nonne idem eſt, ac γνώμην, & ψῆφον κεραννύειν *ſententiam ferre*, *calculos ponere*? Ex his habeto, Barneſium ex Scholiaſte in ſua editione poſuiſſe κραδᾶσαν, rejecto τῷ κρανθᾶσαν, quod alias legebatur, ut ipſe Barneſius annotat; & me illos non temere, ſed ſcienter, prudenter, recteque eſſe ſecutum. Poſt hæc, mi Lipſienſis

ſpe-

ſpectatiſſime, ea, qua ſoles, erga me benevolentia, italicam meam interpretationem (non dico *verſionem*, quia hac tua latinitate non delector) irrito conatu rodere ac vellicare contendis. Qua in re quidem minus eſt mihi laborandum; quandoquidem τὸ πρέπον, & ἐνέργειαν italicæ linguæ minime aſſequeris. Nolo tamen quidpiam præterire, ut magis magiſque tua ſe prodat ἀβλεψία.

Ver. 183. ita Græce legitur:

Τί με δυσφημεῖς, φροίμιά μοι κακά;

Quæ ego ſic reddidi:

Perchè con voce di pietà mi chiami?
Triſti ſono per me principj queſti.

Non recte, tu ais: *δυσφημεῖς longe aliud quid notat*. Neſcio quid hic tibi velis. Ego ſane teneo probe δυσφημέω duo ſignificare, vel *probris inceſſo*, *convicia dico*, & his ſimilia; vel *mala ominari*. Secunda hæc ſignificatio ad locum pertinet, & ſatis appoſite quod ego reddidi Græcis verbis reſpondet. Qui enim alterum voce condolentis vocat, mala ei ominatur. Hinc perite Scholiaſtes δυσφημεῖς explicuit ἐλεεινολέγεις, quam explicationem citat etiam H. Stephanus. Mea vero Italica belle iſti reſpondet, & τὸ δυσφημεῖς hoc eſt ἐλεεινολέγεις, velis nolis, mirifice exprimit. Dixerat enim Hecuba, οἴμοι, τέκνον, quæ vox condolentis eſt. Quare appoſite admodum Italice redditur, *Perchè con voce di pietà mi chiami?* cioè, *con voce di compaſſione*, quod quidem eſt mala ominari. Ex his cognoſce aliquando, quam parum meditatus homo non Italus, ut credo, Italum carpere audeas. Haud ſecus falleris in aliis ejuſdemmodi.

Ver. 240. Græce legitur:

Δυσχλαινίᾳ τ' ἄμορφος, ὀμμάτων τ' ἄπο
Φόνῳ σταλαγμοὶ σὴν κατέσταζον γένυν

Quæ ſic ego tranſtuli:

Sparuto di ſembianze, e giù dagli occhi
Pianto di morte ti cadeva a ſtille

In ſu la barba................

Ad quem locum hæc annotavi : σαλαγμοὶ] h. e. *δάκρυα, ὧν ἦν αἴτιος ὁ τοῦ θανάτου φόβος , lacrymæ , quarum erat cauſſa mortis timor*. Quid ad hæc tu? ea reſpuis. *Nam*, inquis, *dubium non eſt*, *quin Ulyſſes*, *quo lateret ſpeculator* , *& imponeret videntibus* , *qui eum norant*, *ſuam ipſe faciem ſauciaverit* , *ut Zopyrus deinceps fecit*. *φόνος hic idem eſt atque αἷμα*, *ſanguinis ſtillæ*. Importune inſtas, & eruditionem exeris, quæ ad rem minime pertinet. Novi probe, corpus ſuum, &, ſi mavis, etiam faciem Ulyſſem dolo malo uſum, ut ſe tegeret, fœdaſſe. Hoc ego apud Homerum lego lib. 4. ver. 243.

Αὐτόν μιν πληγῇσιν ἀεικελίῃσι δαμάσσας

Seipſum plagis indecentibus domans.

Vulnera quædam, cicatrices , notaſque corpori inflictas præ ſe ferebat, ut miſeri afflictique ſpeciem prætenderet; ſed non ita tamen, ut ſtillæ ſanguinis fluerent. Zopyri vero, quem tu hic commemoras, alia eſt hiſtoria, ut animadvertit etiam Spondanus, & huic abſimilis, atque iſtius exemplum ad rem noſtram minus facit. Zopyrus, naribus , & auribus ſibi præciſis ad Darium confugerat , & alia deinde patravit , ut Babylonem Dario proderet, ut legitur apud Herodotum in Thalia prope ad calcem. Ut ut fuerit, certiſſimum eſt, hunc Euripidis locum, illud, quod tu arbitraris , non ſignificare . Nam Poeta expreſſe dicit *ὀμμάτων ἄπο*, h. e. *ab oculis*. Quid? erant ne, aut eſſe poterant vulnera in oculis, a quibus ſanguis emanaret ? Cœcus plane fuiſſet , ſi ita ſe res habuiſſet. Nec obeſt quidpiam, quod aliquando ὄμμα ſignificet etiam faciem. Nam ſi exempla hujuſce ſignificationis expromantur aliqua, in minori numero uſurpatum ὄμμα videbimus; haud vero in majori. At ſi exempla etiam in numero multitudinis afferrentur , perite item haud dubie, & appoſite hic locus de lacrymis explicaretur. Nam perinde & Virgilius de Sinone (*cui*,

ut

ut animadvertit Servius, *dat & fallaciam & proditionis officium, ne multum diſcedat a Fabula, quia ſecundum Euphorionem Ulyſſes hoc fecit*) ait lib. 2. Æneid.

His lacrymis vitam damus, & miſereſcimus ultro. Sinon pro Ulyſſe confictus a Virgilio perinde plorans inducitur. Quapropter non inepte & hoc loco apud Tragicum Noſtrum, ab oculis Ulyſſes lacrymas effudiſſe dicitur. Atque ſane non ego is unus ſum, qui ita explicandum locum intellexerit. Præter Barneſium & alios, mihi præs & ὁμόψηφος eſt Scholiaſtes, cui certe plus, quam tibi auſcultandum eſſe exiſtimo. Audi Scholiaſtem ita locum explicantem: φόνου σταλαγμοὶ] μὴ λάβῃ εἰς τὸ φόνου ἔξωθεν τὸ ἕνεκα, ἀλλ᾽ ἔστιν ἡ γενικὴ πρὸς τὸ σταλαγμοί. τὰ γὰρ δάκρυα, ἃ πότε ὁ Ὀδυσσεὺς ἐδάκρυε φωραθεὶς, φόνου δάκρυα ἦν, h. e. *Noli accipere ſeorſum ad vocem* φόνου, ἕνεκα, h. e. ἕνεκα φόνου; *ſed* τὸ φόνου *gignendi caſus eſt vocis* σταλαγμοί. *Nam lacrymæ, quas tunc deprehenſus Ulyſſes emittebat, mortis lacrymæ erant.* Præterea P. Brumoy παραφραστικῶς hunc locum interpretatus hæc habet: *Helene vous reconnut, & me le dit. Vos pleurs me toucherent.* φόνος hercle ſignificat aliquando *ſanguinem*; ſed ſanguinem illum, qui, ut perſpecte ex Homero animadvertit H. Stephanus, ex cæde effuſus eſt. Quod belle oſtenditur ex illo etiam Tragici noſtri in Hercule Fur. ver. 572.

Νεκρῶν ἅπαντ᾽ Ἰσμηνὸν ἐμπλήσω φόνου

Mortuorum omnem Iſmenum implebo ſanguine. Quæ ſignificatio accomodata quidem videtur ad hunc Hecubæ locum, *lacrymæ erant ſanguinis*, h. e. *mortis*, ob cædem, quam Ulyſſes timebat. Quamobrem perite Scholiaſtes citato loco dicere pergit: ἔκλαιε γὰρ, ἐπεὶ δὲ τὸν περὶ ψυχῆς ἔτρεχεν. Ὅθεν καὶ ἐν τῇ συνηθείᾳ αἱμάτινα δάκρυα φαμὲν, ἤγουν φονικά; h. e. *plorabat enim, quia vitæ periculum incurrebat. Unde etiam pervulgata dicendi formula ſanguineas lacrymas dicimus*, h. e. *fatales, exitiales*. Hinc φόνος, non poſita cæde, mini-

me pro ſanguine uſurpari poſſe videtur. Igitur nec *χυρίων* de Ulyſſe, qui ſeſe ſua ſponte plagis fœdavit, uſurparetur, quicquid tibi, non perpenſa re, perſuadeas. Quod ad me attinet, velim ſcias, me, quantum vis ingenioli mei patitur, non temere; ſed meditate tranſtuliſſe. Qua in re tamen id mihi non arrogo, ut omnia ſint ita italice reddita, ut tanquam ex Tripode dixerim, nemo unus ſit mortalium, qui ea improbare, & alia, ac ego, ratione intelligere, & interpretari poſſit. In veteribus enim libris explicandis ſua quiſque conjectura uti poteſt, modo non inepta. Sed valde cavendum eſt illi, qui alium redarguere velit, ne ipſe falſus deprehendatur. Nihil eſt eo intolerabilius. At tu, mi Lipſienſis, tamen, neſcio quo tuo fato fiat, in his miſere laberis, & dum mihi invidiam creare conaris, in eam temet conjicis. Hactenus rem ita ſe habere vidimus, & deinceps videbimus.

Verſ. 326. Græce legitur:

Τόλμα τάδ'. ἡμεῖς δ' εἰ κακῶς νομίζομεν
Τιμᾶν τὸν ἐσθλὸν, ἀμαθίαν ὀφλήσομεν.

Quæ ego ſic italice reddidi:

.... ſoffri le preſenti coſe;
E s' ora noi prendiamo un mal conſiglio
In onorare il valoroſo Eroe,
Avrem la colpa d' infingardi e ſtolti.

Tu vero, eruditiſſime mi Critice, quid? Sic pro tua magna ingenii præſtantia hæc caſtigas: ***Locum hunc non cepit. Senſus eſt: Aude (ſuſtine) tu, barbara Hecuba, hoc, nempe mortuos de te bene meritos contemnere, & abſque honore omittere. Tibi nemo id vitio vertet barbaræ ſic ſolitæ, ſic edoctæ, bonorum νομισμάτων imperitæ. Nos vero Græci cultiores ſi vellemus hunc egregium virum male & ῥαθύμως honorare, jure ſævi & agreſtes haberemur.*** Quid, amabo, hæc tua ſibi volunt verba, ***locum hunc non cepit***? Num locum me non cepiſſe manibus? vel me non cepiſſe locum,

ut

ut hæc ædes, in qua ſcribo, me capit? Vel me non cepiſſe locum, ut Dux vi & oppugnando oppidum capit? Jocor. Bellula hac tua ac nitida latinitate ſignificare vis, me locum hunc non intellexiſſe, nec eſſe mente aſſecutum. Sexcenta ſunt; atque adeo innumera, quæ pro mea mentis tenuitate non intelligo, ingenue fateor, nec fateri me pudet. At hoc loco, id mihi ſumo, ut dicam atque affirmem, me quod res eſt probe intellexiſſe, ac explicaſſe. Agedum videamus. Peto primum, ut diligenter animadvertas, verbum τολμάω haud raro, idem ſignificare, ut hocce loco, ac καρτερῶ, ὑπομένω. Si vellem exempla congerere, contererem profecto tempus. Unum aut alterum afferre ſufficiat. Homerus Odyſ. lib. 24. ver. 161. hæc habet.

> Αὐτὰρ ὁ τέως μὲν ἐτόλμα ἐνὶ μεγάροισι ἑοῖσι
> Βαλλόμενος καὶ ἐνισσόμενος, τετληότι θυμῷ.
> At hic quidem toleravit in ædibus ſuis
> Percuſſus, & injuria affectus, toleranti animo.

Theognis vero.

> Χρὴ τολμᾶν χαλεποῖσιν ἐν ἄλγεσι κείμενον ἄνδρα
> Oportet hominem gravibus doloribus afflictum perferre ac tolerare.

Habes ſignificationem verbi. Ut autem intelligas, iſtiuſmodi ſignificationem ad hunc locum eſſe accomodatam, opus eſt conſideres, hæc verba non ad ea, quæ ſequuntur; ſed ad ea, quæ antecedunt, referenda eſſe, quæ italice hujuſmodi ſunt:

> .... ſe poi tu dici,
> Che ſoggiaceſti a miſerande coſe,
> Similmente da noi coteſte aſcolta:
> Delle femmine vecchie appreſſo noi
> E de' vecchj vi ſon di te non meno
> Infelici, e vi ſon ſpoſe, che prive
> Reſtar de' ſpoſi i più gentili e illuſtri,
> I cui corpi naſconde or queſta polve
> Trojana: ſoffri le preſenti coſe,

E s' ora noi prendiamo un mal conſiglio
In onorare il valoroſo Eroe
Avrem la colpa d' infigardi e ſtolti.

Nonne ex præcedentibus plane ſequitur, *ſuſtine, tolera quæ modo pateris*, h. e. *ſoffri le preſenti coſe*, cioè, *di rimaner priva della Figliuola, e l' altre tue ſventure*. Deinde Ulyſſes ita de ſe, ſuiſque dicit: quod ſi nos objurgas, quod velimus, ſtrenuum virum hoc honoris genere proſequi, iſtuc non in tuum, ſed in noſtrum ceſſerit dedecus, noſque, non tu, ſtultitiæ inſimulabimur. Neque exiſtimes, me ſic interpretari temere. Præter rem ipſam, quæ ita poſtulat, docet etiam Scholiaſtes, hac eſſe ratione explicandum. Scholiaſtes itaque hæc habet, ὑπόμενε ταῦτα. Vide πόλμα idem, ac ὑπόμενε. Deinde addit σίγμα poſt ταῦτα, & explicare pergit: ἡμεῖς δὲ εἰ κακῶς νόμυς θείημεν δοξάζειν τὸν ἀνδρεῖον, μωρίαν χρεωςήσομεν, h. e. *Hæc perfer, tolera. Nos autem ſi iniquas leges ponimus, quibus fortem virum honore proſequamur, ſtultitiæ poſtulabimur.* Nec Scholiaſtes ſolum; ſed P. etiam Brumoy eodem pacto expoſuit locum: Hæc ejus ſunt verba: *Si vous vous plaignès d' un devoir ſi funeſte par vous, ſongès que nous avons parmi nous des femmes, & des vieillards auſſi a plaindre que vous memes. Hè, combien d' époux de nos Grecques ſont enſevelis dans la pouſſiere de Troye! Supportès courageuſement cette infortune. Pur nous, ſi nous faiſons mal d' honnorer la bravoure aprés le trapas, nous conſentons qu' on blame nos lumieres.* Satis ne cognoſcis, quam tu inepte, quam ego apte, citatum locum ſimus interpretati? In quo medius fidius eo tu magis es objurgandus, quo confidentius & imperitius dixeris, me locum, quem optime intellexi, non intellexiſſe; te intellexiſſe, quem nequaquam intellexeris. At non eſt, cur miremur: tu enim ſemper tui ſimilis impudentiſſime ſemper deciperis.

Sic ver. 1080. quo loco Græce legitur:

Ναῦς

Ναῦς ὅπως ποντίοις πείσμασι
Λινόκροκον φᾶρος στέλλων
Ἐπὶ τόνδ' ἐσσυθεὶς
Τέκνων ἐμῶν φύλαξ,
Ὀλέθριον κοίταν

Quæ ego ita italice:

.... come una nave
Che la crocea di lin vela legata
Con le nautiche ſarte in mar diſpiega,
Cuſtode de' miei Figli io ſpinto fui
In queſto micidial fatale albergo.

Ad hæc tu peritiſſime de more annotas: *Ex his ſpeciminibus, & poſtremo præcipue apparet, hanc verſionem, ut ſuavis & ſonora eſt, ſic tamen Critico non ſatisfacere. Græce intelligens certe non poterit λινόκροκον φᾶρος per la crocea di lin vela croceum velum lineum redditum, ac ſi croci notio in λινόκροκον lateret, non ridere*. Omnia ut ſoles, inſulſiſſime. Primum Italicæ meæ interpretationis te minime æquum judicem & æſtimatorem tua facit ut reputem ſatis comperta Italicæ linguæ imperitia; neque ſane tuæ aures, niſi ſonum & numerum quodammodo Italicæ poeſeos excipere poſſunt. Deinde Græce intelligenti & Critico me ſatisfacere poſſe ſpero; tibi autem neque Græce intelligenti, neque Critico, neque poſſum, neque cupio. Te porro nec Criticum, nec Græce peritum eſſe, cum ex aliis, quæ ante diximus, tum ex his, quæ in præſentia ſumus dicturi clariſſime patet. Quo fit, ut illi, quos tu ridere putas, te rideant. De voce λινόκροκον, ut video, nihil legiſti, & eam notionem, quam illi ego meditatus præſtantium virorum auctoritate & ſapientia fretus tribui, non aliam ob cauſſam rejicis, niſi quia tibi ſic libuit. Tibi libet: ſatis eſt; ita eſſe debet. Henricus tamen Stephanus (ſcis quem dico Virum in Græcis litteris mirum in modum verſatum, & nominis fama præclarum) eodem, ac ego modo, vocem hanc explicuit hunc citans Hecubæ

locum. λινόκροκος, inquit, *ex lino factus; & croceo colore tinctus. Utrunque enim comprehendere videtur hoc compoſitum, quo utitur Euripides in Hecuba.* Fuit ne Græce intelligens tantus vir, qui græcarum litterarum peritiſſimus & fuit, & habetur? φᾶρος autem explicari debere *velum* docet Scholiaſtes: φᾶρος, inquit, ἤτοι λαίφος.... οἱ δὲ λέγοντες λινόκροκον φᾶρος τὸν ὀφθαλμὸν, ἢ οὐ τὸ λαίφος, ἆρ' ἔχει τις ἂν εἰπεῖν, ὡς οὐ μάλιστα πάντων οἶδε ἀμαθεῖς, h. e. *φᾶρος, nempe velum. Illi autem qui dicunt* λινόκροκον *φᾶρος oculum, nonne poteſt quis dicere, eſſe homines omnium imperitiſſimos?* Hactenus pro tua comitate, quanquam ego nihil ſim de te meritus, ut mihi decus & exiſtimationem parias, de italica mea interpretatione ſapientiſſime verba feciſti. Nunc quid in meis annotationibus præſtiterim, eadem animi benignitate, quæ tua eſt, me proſecutus, ediſſeris præclariſſime.

Raro, inquis, *Noſter agit Criticum, neque vidimus locum, cui emendationem alicujus ſaltem momenti appoſuerit.* Ego raro, mi Lipſienſis humaniſſime, ago Criticum; tu vero nunquam; niſi fortaſſe putas, Criticum agere illum, qui effutit quicquid in buccam, qui temere de litteris judicat, qui nihil, aut parum admodum legiſſe deprehenditur, qui neſcit quid verum, quidve falſum ſit, qui novitati inſulſe ſtudet, qui novas lectiones inutiliter comminiſcitur, qui lectiones ſatis appoſitas nulla neceſſitate ſollicitat, qui κακὰ κακοῖς ἰᾶσθαι ſolet, qui laudem aliis arripere conatur, qui non laceſſitus probris inceſſit, verbo, qui totum ſibi arrogat, defert ceteris nihil. Si his Critice continetur, Criticus ego certe non ſum, nec ero unquam; tu es præſtantiſſimus. Ac ne verbis ludere videar, age, tua, ὦ κεχηνότες, expendamus.

Ad verſum 112. qui hujuſmodi eſt:

.........τύμβου δ' ἐπιβὰς

Οἶσθ' ὅτε χρυσέοις ἐφάνη σὺν ὅπλοις,

Τὰς ποντοπόρους δὲ, &c.

Sic ego annotavi: οἶσθ'] *Canterus non ambigit legere*

τε ἴδοι. *Quod ſatius puto. Porro ὅτι lego*. Hic penitius tu vides, & ut es omnium acutiſſimus cognoſcis, totum locum eſſe corruptum. Hinc pro tua ſapientia, qua plurimum vales, nulla Codicum auctoritate; quam a me tantopere efflagitas, lectionem ſatis appoſitam, Criticis probatam, in ſcholiis Græcis clare expoſitam, tu nullo bono, nulla neceſſitate vexas. *Euripides*, ais, *ſcripſit*, *οἷς ὅγε ſuis ille*, h. e. *Tymbo autem ſuperinſiſtens ſuis ille aureis cum armis*, *&c.* O nunquam ſatis laudandum Criticum! O Virum plane mirabilem! Tu ſcis, ita Euripidem ſcripſiſſe? Si, ut edidimus, appoſitum & concinnum non eſſet, foret quidem conjecturæ locus; at, cum omnia probe ſe habeant, fas eſt nihil mutare. Belle autem ſe hæc habere, ſatis clare oſtendit Scholiaſtes, qui τὴν σύνταξιν horum verborum ita ob oculos ponit: *γινώσκεις δὲ, ὅτι ἐπιβὰς ὁ Ἀχιλλεὺς, δηλονότι τοῦ τύμβου τοῦ αὐτοῦ, ἐφάνη σὺν ὅπλοις χρυσέοις, ἐπέσχε δὲ τὰς ναῦς....... τόδε βοῶν*, h. e. *Scis autem*, *&c.* Mihi itaque, o Lipſienſis, licere nunquam putaſſem, nulla Codicum auctoritate, nullo exemplo, lectionem admodum venuſtam explodere, aliam, meo arbitratu, obtrudere. Si id cuique liceret, hoc eſt, temere quidvis mutare, nihil prope eſſet in Veterum libris, quod mutari non poſſet. Cum enim multæ variæque ſint dicendi formulæ, eadem res hoc illove modo exprimi poteſt. Verum, cum ſtandum ſit iis, quæ ſcripta fuerunt, ſi mendum non pateat, aut alia quævis probanda ratio non ſuadeat, lectionem eſſe tollendam, reſtituendam aliam, abutentis otio & litteris eſt quidpiam mutare. Quare minime probanda, inutilis, ſupervacanea hæc tua lectio eſt, quam, rejecta noſtra, imperitis venditare cupis. In qua porro, illud tuum *tymbo ſuperinſiſtens*, præterquam quod non latinum, ſed barbarum eſt, quod ſæpe adamas, vim Græcæ ſignificationis non patefacit. Nam *ἐπιβαίνω* non ſignificat *inſideo*; ſed *κυρίως aſcendo*, ſeu *conſcendo*, ex uno in alium locum pro-

progredior, ut illum conſcendam, quemadmodum hic de Achille dicitur tumulum aſcendiſſe. Hæc in alium non annotarem; ſiquidem tanto ſupercilio aliena non lego; ſed hoc in te, qui tantus tibi Criticus videris, non importune, ut arbitror, facio. De aliis nunc dicamus, quæ a te probe animadverſa & emendata fuerunt.

A ver. 112. de quo ſermonem habuimus, reſilis ad verſum 51. qui ita ſe habet:

Τὐμὸν μὲν ὢν, ὅσον περ ἤθελον τυχεῖν
Ἔϛαι, &c.

Hic pro ὅσον περ corrigis ὅσῳ περ. O præſtantem loci emendationem! O exquiſitam Criticam! Modo intelligo, quinam fiat, ut concoquere nequeas, me, ut deinde videbimus, reculas quaſdam annotare, hoc eſt, κὤπω *ſynalœphen* eſſe pro καὶ οὔπω, & alia indigna viris, qui ſeſe ad legendum Euripidem dediderint. Tua mehercle quantivis valent. Doces enim verbum τυγχάνω cum gignendi caſu conſtrui. Hinc ὅσον περ in ὅσῳ περ mutas. Sed videris, mihi crede, in Græca lingua neque rem grammaticam tenere. Indignantur nimirum pueri, qui Græcas litteras addiſcere incipiunt, hanc tuam doctrinam. Norunt namque ex rudimentis ipſis grammatices, quæ ſunt ἀναφορικὰ apud Græcos copulari eleganter cum caſu nominis quod antecedit. Perinde hoc loco τὸ ὅσον refertur ad τὸ ἐμὸν. Rem ita ſe habere te docet in hunc locum Scholiaſtes. ἐνταῦθα, inquit, τὸ ὅσον οὐ πρὸς τὸ τυχεῖν λέγεται, ἀλλὰ πρὸς τὸ προηγησόμενον τὸ ἐμὸν, h. e. *hic τὸ ὅσον non dicitur*, ſeu *non refertur ad τὸ τυχεῖν; ſed ad τὸ ἐμὸν, quod antecedit*. Deſine, quæſo, emendare loca, qui ea tantopere corrumpis. Siccine tollis temere lectionem, quæ elegans & uſitata eſt?

Ver. 162. ubi ita legitur:

Ποίαν, ἢ ταύταν, ἢ κείναν
Στείχω; ποῖ δ' ἤσω; ....

Tu addis πόδα, h. e. ποῖ δ' ἤσω πόδα. Qua auctoritate?

te? quo exemplo? cui bono? Nihil horum. Nihil præterea ais, addis πόδα. In hunc ego locum ex Scholiaſte annotavi, legendum eſſe ἤσω cum ſpiritu tenui, ut grammatici loquuntur, quod fit ab ἴω inuſitato pro εἶμι, ut perſpecte etiam ex eodem Scholiaſte animadvertit Barneſius. Et ipſe quidem Scholiaſtes ita legit, ποῖ ἤσω ἢ ὁρμήσω, *quo ibo*. Ego italice reddidi, *e dove il piede moverò*, quia ποιητικῶς nos Itali dicimus *movere il piede*, h. e. *ire*. Sed hæc tanti non ſunt, ut tuam maximam Criticam admiremur. Excellentiora ſunt, & diligentius notanda illa, quæ ſequuntur.

Ad ver. 203. qui eſt hujuſmodi:

Γήρᾳ δειλαίῳ δειλαία συνδουλεύσω

hæc ego annotavi: συνδουλεύσω] *Iſtuc plane ineptum, quod Polyxena dicat συνδουλεύσω, cui adeo gravis, & inviſa res erat ſervitus. Placet apprime συμβουλεύσω, quod habet Baroc. Cod. in Cantab. ſecunda, quo loci, teſte Kingio, interlineari explicatione ſupra ſcribitur συμβουλεύσω. Italice tamen ſervire ſignificat etiam eſſere in luogo di alcuna coſa*. Hæc mea conjectura ex optimo Codice depromta, ex ipſa re deducta, tibi pro tua uſitata in me benevolentia non probatur. Quid plura? ipſum Codicem parvi pendis, explodis. Poteſt ne quidpiam excogitari putidius? Codices petis, efflagitas. Codices dantur, optimi, probati, & tu rejicis, nihili facis? Audiamus tua verba: *Non multum in receſſu habet hæc Critice. Iſtud, quod Cod. Baroc. habet, eſt ex illo conjecturarum genere, quod Criticis noſtrorum temporum haud raro excidit, linguam, quam attrectant, non ſatis intelligentibus*. Poteſt ne mecum iniquiori conditione agi? Poteſt ne quidpiam dici ſtolidius? Tu lectiones mutas nulla auctoritate Codicum, neceſſitate nulla; ego conjicio ſecus eſſe legendum non modo Codicis plurimi æſtimati auctoritate; ſed etiam re ipſa adductus, quia verbi συνδουλεύσω nullum reperi exemplum, veſtigium nullum, niſi in voce σύνδουλος, quæ tamen a δοῦλος fit. Quæ cum ita ſint, quid fuit pro-

pius,

pius, quam ut ego de mendo ſuſpicarer? ſiquidem nec ipſe accuratiſſimus H. Stephanus in Græcæ linguæ theſauro verbi hujus *συνδουλεύω* mentionem fecit; neque ſane alios *λεξικογράφους*, quos vidi, feciſſe inveni. Verbum Euripideum eſſe poteſt, haud negem; at cum invenerim in præſtanti Codice concinniorem mihi indicatam lectionem, nonne pulchrum fuit, atque laudabile eam in medium afferre, atque probare? Quare ex his præ te fers apertiſſime, tibi nihil eſſe antiquius, quam mea quacunque ratione exprobrare, rejicere, carpere. Hinc tuam in me prodis malevolentiam, qua ea etiam, quæ probanda maxime ſunt, improbas; quæ ſunt diligenter animadverſa, inter res leviculas amandas, quæ ſunt ſua laude donanda, tanquam minimi ducenda traducere conaris. Deinde neſcio quo ore, qua audacia Criticis etiam omnibus noſtrorum temporum notam inſcitiæ inurere velis, quaſi linguam, qua utuntur, non intelligant. Sic puto ſibi velle ea, quæ dicis; *linguam, quam attrectant*. Albo hercle lapillo notanda eſt hæc latina dicendi formula hac præclara ſignificatione donata! Ais, hoſce Criticos a Græca lingua eſſe imparatos, quia rectius exiſtimant *συμβουλεύσω* legere pro *συνδουλεύσω*? Immo mirifice ipſi hinc linguam tenere videntur; tu vero haudquaquam. Nam illi norunt, hoc verbum non fuiſſe Græcis uſitatum. Quapropter leviſſima quadam mutatione reſtituunt *συμβουλεύσω*, quod ſignificat *præſto ero conſilio*, & ut clarius citatus Codex explicat *βοηθήσω opem feram*, quod optime quadrat in hunc Euripidis locum. Miror, & valde equidem miror, te tam facile quaſi hominem deſultorium ex uno in aliud commeare; modo Codices a me poſtulas, modo ſi affero, reſpuis; modo petis, ut loca emendentur, modo ſi emendanda conjiciantur, aſpernaris. Fac, ut tibi lubet, finge quidvis, certe nobis nunquam impones, neque de diligentia ſaltem, & de opera litteris data & danda, ſi de ingenii non poſſumus præſtantia, quæ

a na-

a natura eſt, & qua tu unus mirandum in modum excellis, non concedemus. Hæc ſatis. Ad alia tua veniamus.

Verſus, inquis, 207. *dignior erat animadverſione, quem tamen Noſter prorſus præteriit. Attulimus jam ſupra, ex parte nunc repetemus:*

Ἐσόψει (nempe Hecuba Polyxenam) χειρὸς ἀναρπασθεῖσαν
Σᾶς ἀπολαιμότομόν τ' ἀΐδᾳ
Γᾶς ὑποπεμπεμέναν σκότον

Sic vulgo edunt viri docti, quos tamen vel ſola vox ἀπολαιμότομος *de vitio potuerat admonere, quæ tantum non monſtroſa, ſaltem eo, quo hic ponitur, ſenſu, vix ſatis Græca videtur. Diſtinguenda ſunt, quæ male coaluerunt, & emendanda hunc in modum.*

.... χειρὸς ἀναρπαστὰν
Σᾶς ἄπο, λαιμοτόμου δ' ἀΐδα
Γᾶς ὕπο, πεμπομέναν σκότον.

Conſtructio eſt, ἀναρπαστὰν ἀπὸ σᾶς χειρὸς καὶ πεμπομέναν (ἐς) σκότον ἀΐδα λαιμοτόμου, (τὸν) ὑπὸ γᾶς. *Senſus autem: Videbis filiam tuam avulſam a manu tua, & miſſam in tenebras mortis, a præſciſſione capitis effectæ, ſub terra exiſtentes; vel (miſſam repetendo) ſub terram; vel ſi quis malit, in tenebras Plutonis cervicem præſectoris. Dixit autem Euripides hoc loco* πεμπομέναν σκότον *pro* ἐς σκότον *vulgatiſſima phraſi poetica, cujus vix operæ pretium foret exemplum afferre. Quia tamen coram manibus unum habemus aliquod, & tam moroſi atque difficiles hodie ſunt Critici, ut nihil credant quod manibus non palpent, & quod immani exemplorum ſtrue non aſtruatur, apponemus verſum hujus Fabulæ 456.*

Ἢ νᾶσον ἁλιήρη
Κώπᾳ πεμπομέναν τάλαιναν,

pro ἐς νᾶσον. Cupio, mihi crede, ſummopere cupio quidpiam in his tuis legere, quod dignum ſit opera Critici, & quo tandem aliquando, ſemel ſaltem, videaris rem acu, ut dicitur, tetigiſſe. Vellem, ut tibi compertum fieret, quam ego eſſem rerum tuarum

æquus

æquus æſtimator, mihi exhiberi locum a te animadverſum & caſtigatum, qui probandus foret. Sed tuo adverſo fato fit, ut nihil tale uſquam inveniatur. Jam vero, quod ad hunc locum attinet, ſatis habeo, me cum Viris doctis, ut tute ais, hæc, de quibus loquimur, ediſſe, nihil de mendo ſuſpicatum. Quod autem ad te attinet, vereor, ne corruperis potius, quam emendaveris, quæ emendanda non erant. Oſtendam igitur primum, belle, ut edidimus, & ſatis eleganter ſe habere; deinde emendationem tuam & ſupervacaneam eſſe, & non apte ſibi cohærere. Vide facillimam conſtructionem vulgatæ lectionis: ἰσόψει ἀναρπασὰν σᾶς χειρὸς καὶ ἀπολαιμότομον ὑποπεμπομέναν σκότον γᾶς ἀΐδᾳ. Singula expendamus, & explicemus: σᾶς χειρὸς eſt caſus verbalis nominis ἀναρπασὰν, quod fit a verbo ἀναρπάζω, quod ſignificat *vehementer repenteque eripio*, ob præpoſitionem ἀνά. Ἀρπάζω vero cum gignendi caſu conſtruitur, ut illud, quod commemorat H. Stephanus, ἀρπάζω σε τοῦ πυρὸς *eripio te ab igne*. Quæ ego dico, omnia probe a Scholiaſte confirmantur, qui ita legit & explicat, δειλαίαν ἀναρπασθεῖσαν τῆς σῆς χειρὸς, *miſeram e manu tua ereptam*. Præterea hæc καὶ ἀπολαιμότομον ſic Scholiaſtes interpretatur ἀποτετμημένην τὸν λαιμόν. Eſt enim, docente H. Stephano, ἀπολαιμότομος idem ac ἀπότομος τὸν λαιμόν. Idem Stephanus animadvertit, in quodam Codice legi ſeparatim in hoc Euripidis loco ἀπὸ λαιμότομον; ſed corrupte cum accentu in ultima h. e. ἀπὸ, qui certe retrahi debet, ſi ita uſurpetur. Ipſe tamen H. Stephanus revera Criticus, & Græcæ linguæ peritiſſimus adſciſcit probatque lectionem ἀπολαιμότομον. Nam vidit ille, qui acri admodum ingenio erat, nihil opus eſſe mutare. Porro hæc, ὑποπεμπομέναν σκότον γᾶς ita ſunt ex eodem Scholiaſte explicanda, πεμπομέναν ὑπὸ τὸν σκότον τῆς γῆς, *miſſam ſub tenebras terræ*. Et ſic σκότον eleganter eſt caſus verbi ὑποπέμπω. Nam ex regula grammatices vel pueris nota, ſæpe verbis compoſitis additur caſus virtu-

tute præpoſitionis. Quem loquendi morem imitati ſunt etiam Latini, ut *adire aliquem*, & id genus alia. Tandem ἄϊδᾳ eſt dandi caſus ejuſdem verbi πέμπω, h. e. *miſſam Plutoni ſub tenebras terræ*. Venuſte autem ποιητικῶς dicitur, & *ſub tenebras terræ*, & *Plutoni*, quamvis idem ſit, quemadmodum laudatus Scholiaſtes ait: ἐςὶ δὲ, inquit, τὸ ἄϊδᾳ, ἢ τῷ σκότῳ τῆς γῆς τὸ αὐτό. En omnia ad unum concinne ſe habere, appoſite, eleganter. Quodnam eſt iſtuc vitium, quod, tua ſententia, Viros doctos potuerat admonere, vulgatam lectionem eſſe tantum non monſtroſam, ut tuis verbis utar, at certe vix ſatis Græcam, & ad locum minime accomodatam? Eſt, velis nolis, eſt plane Græca, & ad rem tam accomodata, quam quod maxime. Tua igitur emendatio ſupervacanea omnino eſt; & parum etiam ſibi cohærere videtur; quia illud tuum ἄϊδα λαιμοτόμῳ *mortis a capite præſciſſione effectæ*, ut tu explicas, vel *Plutonis cervicem præſectoris*, vi & ingratiis obtruditur, ut conſideranti patet; præſertim cum vulgata lectio ſit longe clarior, planior, facilior. Nunc ergo vide, ſi quid erat cauſſæ, cur illud, quod erat clarius, quod planius, quod facilius, reſpueres, & tot Criticis, qui in hac re nihil mutandum exiſtimarunt, imperitiæ notam inureres. At, ſi quid veri Græce non expiſcaris, ſaltem moleſtiam tuis lectoribus compenſas elegantiſſimis, quibus identidem uteris, latinis dicendi formulis. Poteſt ne, inter alia pleraque, dici quidpiam latine elegantius, quam *coram manibus*? Nimirum in Græcis, atque latinis perinde omnia tibi licere putas: dicere, ut lubet, mutare, ut lubet, quidvis, ut lubet. Sint hæc bono omine tuo, fruere hac fortuna, nihil invideo; modo des & mihi tua expendere ſolerter, & quod falſo comminiſceris, patefacere. Pergamus itaque.

Ver. 367. inquis, *in mendo cubat, quod ut clarius pateat, tota* ῥῆσις *addenda eſt cum præcedentibus*:

Λέχη δὲ τέμνε δοῦλος αὐτηρὸς, πόθεν

Χρα-

Χρανεῖ, τυράννων πρόσθεν ἠξιωμένα.
Οὐ δῆτ'. ἀφίημ' ὀμμάτων ἐλεύθερον
Φέγγος τόδ' ᾅδῃ ....

Noſter ſic poſtrema:

.... non ſia ciŏ vero,
Queſta degli occhi miei libera luce
Abbandono offerendo il corpo mio
A' Numi di laggiù ....

Manifeſto falſum hoc eſt. Polyxena enim non minus, quam Hecuba, cæteræve Troades, erat captiva; neque ſimpliciter habebat liberum oculorum lumen, quod poetico ſtilo idem eſt, ac vivebat libera; ſed ab una quadam certa re tantum poterat habere vultum liberum ope ſuæ mortis, vel poterat moriendo ſe liberare ab aliqua ingrata re, quæ viventi neceſſario videnda & ſubeunda erat, nempe, a matrimonio ſervili, de quo ſermo præceſſit. Unde ſponte fluit, pro οὐ δῆτα *legendum eſſe, mutato tantum ſpiritu,* οὗ δῆτα. οὗ δῆτ' ἀφίημι ὀμμάτων ἐλεύθερον φέγγος, *&c. A qua re (a quo indigno & ignominioſo ſervili matrimonio) liberam lucem oculorum meorum remitto & conſigno in manus mortis.* Quid tibi, amabo, o Ariſtarche Lipſienſis, hoc venit in mentem, quod nemini Criticorum poſt natas litteras venire poterat, niſi penitus deſipuiſſet? Mendoſum dicis hunc Euripidis locum? Nihil minus. Quid plura quæris? ſi id mihi ex Tripode diceret Apollo, non crederem. Nam, etiamſi in ſexcentis codicibus alia lectio ab hac diverſa haberetur; tamen non mendoſa hæc noſtra vulgata; ſed alia ab illa eſſet exiſtimanda. Ut enim locus dici poſſit mendoſus, oratio debet ſibi non congruere, σωλοικίζειν hiulcam, confuſam, præter omnino normam eſſe. Nihil hujuſmodi eſt hoc loco. Oratio namque invenitur ad rem accomodata, conſtructio prorſus concinna, præter normam nihil. Quæ dico in propatulo ſunt; ſiquidem Polyxena cum mente animoque proſpiceret quid mali & dedecoris, ſi viveret, eſſet ipſi futurum, maluit ſponte hanc lu-

cem

cem amittere, quam ſuperſtitem probris ex dedecore affici. Inter alia, inquit, quæ mihi indigna accident, quiſpiam fortaſſe ſervus de lapide emtus meas nuptias commaculabit, me in uxorem magna mea cum ignominia ducens. Abſit, hoc dii immortales avertant, amitto longe libentius, ſponte mea, γενναίως, ut hominem decet ingenuum, hanc oculorum lucem. Cum autem mea ſponte moriar, meæ gloriæ conſulam; quippe quæ velim mori potius, quam me indigna vivendo pati. Ita eſt hic locus explicandus; ita explicat illum Scholiaſtes; ita Critici alii, qui nihil unquam de mendo ſunt ſuſpicati, nec ſuſpicari poterant. Audi Scholiaſtem: τὰ ἐμὰ δὲ λέχη (καὶ τὴν ἐμὴν κοίτην) μιανεῖ δοῦλος ὠνητός ποθεν, τυράννων καὶ βασιλέων πρότερον ἀξία ὄντα. οὐ δῆτα, ἤτοι οὐκ ἀνέξομαι ζῶν ἐν τούτοις, οὐ προτιμήσω ταῦτα τοῦ θανάτου. ἀφίημι τόδε τὸ φέγγος τῶν ὀμμάτων ἐλεύθερον, &c. h. e. *meum thalamum ſervus unde unde emptitius fœdabit, cum digna antea fuerim tyrannorum, & Regum nuptiis. Abſit, hoc eſt, non patiar hoc cum probro vivere, hæc morti non anteponam. Amittam hanc oculorum lucem ſponte mea*, h. e. ea ratione, quæ puellam libero genere ingenuoque natam decet. Cohæret ne tota oratio? Quid igitur eſt mendi? mendi eſt prorſus nihil. Haud ſecus explicuit P. Brumoy, cujus verba hæc ſunt. *Je deviendrois l' eſpouſe d' un miſerable achetè a prix d' argent. Non, non, je mourrai libre, & j' emporterai ma gloire aux enfers.* Hactenus vidimus hunc locum non eſſe mendoſum. Tuam nunc excutiamus, quam obtrudis, emendationem. *Sponte fluit*, ais, *pro* οὐ δῆτα *legendum eſſe, mutato tantum ſpiritus* οὗ δῆτα. Falleris. Nam ſi ſponte flueret, ut tuis verbis utar, dicendum eſſet ex præcedentibus valde rectius, ὧν δῆτα, h. e. ὧν λεχέων. Scriptum eſt enim ante λέχη. Quorſum iſthæc mutatio numeri legendo οὗ, *a qua re?* Præterea, quænam, malum, dicendi formula hæc eſt, *a matrimonio ſervili liberam lucem oculorum meorum remitto & conſigno in manus*

mortis? A Viris reapſe doctis atque Criticis, & a tuis ipſis Lipſienſibus, quos ſapientiſſimos ingenuoſque admodum reputo, etiam atque etiam peto, ut utranque explicationem pro ipſorum ingenii ſollertia, & animi integritate ſimul collatam ad trutinam revocent, atque perpendant, & ſi vulgatam noſtram mendoſam, & tuam noſtræ præponendam eſſe exiſtimant, mihi diem dicant, & judicio damnent, libentiſſime patiar. Certe *οὐ δῆτα* elegans eſt & uſitata Græcis dicendi formula, qua quis negat de eo, quod ante dictum eſt; ut illud Ariſtophanis in Pluto, quam etiam Comœdiam ego italice reddidi, *οὐδὲ μὴν ἀπεστέρηκάς γ' οὐδένα*; reſpondet Chremylus, *οὐ δῆτ' ἔγωγε*, *minime ego quidem*. Si igitur formula eſt a Græcis eleganter uſurpata, ſi ad locum, ut vidimus, mirifice quadrat, quid eſt de mendo cogitandum? cur appoſita lectio extruditur, obtruditur inepta. & ſi non inepta, ut leviſſime dicam, ad locum haud dubie minus accomodata? Scio jam me prope lectoribus creare faſtidium, qui omnia tua velim commemorare, quæ tam imperite obtrectandi cauſſa dicere tibi propoſuiſti; quandoquidem ſatis, ſuperque ex iis, quæ hactenus diximus, compertum exploratumque ſit, quinam tu ſis, quantique valeas, & quo animo in me afficeris. Scio hoc equidem penituſque cognoſco; ſed juvat nihilo minus cetera perſequi, ne quid diſſimulare videar.

Ad verſum 335. qui hujuſmodi eſt:

> Αἶ, αἶ τὸ δοῦλον ὡς κακὸν πεφυκέναι.
> Τολμᾷ δ' ἃ μὴ χρὴ τῇ βίᾳ νικώμενον,

hæc annotas: *Significatio verbi τολμᾷν etiam hic ignorata, ut ſupra ver. 326. quem locum paullo ante explicuimus, impoſuit cum ceteris interpretibus etiam Noſtro, qui ita italice reddidit.*

> .... ahi, ahi gran male
> E' l' eſſer ſervo altrui! da forza vinto
> Anche quel, che non dee ſoſtiene.....

in notis vero ſic ſcribit: Hæc ſic interpretanda puto.

per

per ellipſin, τὸ γενέσθαι τινὰ δοῦλον, λίαν κακόν ἐστιν, h. e. *fieri aliquem ſervum magnum malum eſt. Porro legitur etiam* πέφυκ' ἀεί. *Quod Cantero non diſplicuit, quæ lectio extat etiam in Baroc. Cod. apud Kingium*. Hæc mea ſunt. *Atqui*, tu pergis dicere, *lectio hæc repugnat menti Poetæ, ut patet ex contextu verborum, ſiquis relegat, præcedentium, unde facile eſt ejus ratiocinationem aſſequi. Ulyſſes Græcorum laudaverat ſtudium, mortuos de ipſis bene meritos honorandi; barbaros autem ob ejus neglectum increpuerat:*

Ma voi Barbari (*dixerat ſecundum noſtrum Italum*) già non iſtimate
Gli amici amici, e non recate onore
A color, che morir con fama e gloria;
Ond' è, che Grecia ſen riman felice,
E voi a coſe ſoggiacete pari
Alli conſigli voſtri............

ad hæc Chorus hominis Græci ejuſque civium admiratus ἐλευθεριότητα, *& nobiles mores in recolendis grata memoria beneficiis acceptis, ſuorumque viciſſim damnans* τὸ δυσλοφρεπὶς *in obliviſcendis evergetis, & eorum pulchre factis, erupit in hæc verba: O quam miſerum eſt in ſervili conditione, & ſervo cum animo naſci, & ea, quæ non oportebat, perpetrare, vincente indolis inſitæ, quam educatio corroboravit, vi. Patet hinc pro* τολμᾷ *legendum* τολμᾷν. *Pro iſti* τῇ βίᾳ *reponendum ne ſit* τῷ βίῳ, *aut* τῇ φύσει, *eſt ambiguum, eligat quiſque quod malit. Sufficiat nobis veram Poetæ mentem e tenebris eruiſſe. Significationem illam verbi* τολμᾷν, *cum latine reddendum eſt, perpetrare, audere aliquid indignum, indecorum, jam ſupra, niſi fallimur, approbavimus*. Urges ruſtice ſane, & error te in errorem rapit, cum ſemel inſtitueris velle, vi, ingratiis, nolentibus Criticis, repugnante re, loca emendare, corrigere, mutare, quæ neque emendanda, neque corrigenda, neque mutanda ullo pacto ſunt. Verba mihi omnino deficiunt, quibus tuam imperitiam, animi

confidentiam, impotentem ſcribendi licentiam explicem. Neſcis ne, Chorum ex Trojanis mulieribus captivis conſtare? te fugit, Chorum pietati ſemper, juſtitiæque favere? ignoras, morte inſontis puellæ honeſtare Achillis ſepulcrum facinus fuiſſe quoddam horrendum, non laudandum, non imitandum? Videris quidem harum omnium rerum neſcius; ſiquidem ais, Chorum admiratum fuiſſe ingenuitatem moremque Græcorum, qui viris de ſe meritis hujuſmodi honores præſtare noverunt. Ais, Chorum, h. e. Trojanas mulieres ſuorum objurgaſſe ſervilem conditionem, ob quam neſciverint beneficiis eorum, qui de illis meriti erant, ea grati animi ſignificatione, qua erga Achillem ſe gratos Græci oſtendebant, reſpondere? Ita ne doces, Chorum faviſſe impietati, atque facinus illud probaviſſe, quo fuit innocens puella mactata? Chorus igitur dolebat, ſe, ſuoſque h. e. Trojanos non eſſe ita natura comparatos, ut poſſent & ipſi eoſdem, ac Græci Achilli, hominibus de ſe meritis honores tribuere, hoc eſt, pro eorum gloria inſontes mactare, ut Græci mactabant Polyxenam? Imperitius, ſi quis vellet data opera, & joci cauſſa explicationem confingere ineptam & deridiculam, dicere mehercle nequiret. At mihi videor videre quid cauſſæ fuerit, cur tantopere fallaris. Fuit, quia hoc etiam loco veram verbi τολμᾷν & πεφυκέναι non intellexiſti ſignificationem. Exiſtimaſti τολμᾷν ſignificare *quidpiam patrare indignum*, cum ſignificet hic haud dubie, ut ante diximus, *ſuſtinere*, *ferre*, *tolerare*. Non eſt, cur a capite arceſſam exempla illa, quæ ſupra attulimus, quibus luculenter oſtendi, verbum τολμᾷν hac, quam dico, ſignificatione donari. Addo tantummodo hoc loco auctoritatem H. Stephani, quem ſi dixeris erraviſſe, placeo ego mihi cum tanto viro in re hujuſmodi erraſſe. Citat ipſe hunc Euripidis locum ita legens:

Αἶ, αἶ τὸ δοῦλον, ὡς κακὸν πέφυκ᾽ ἀεὶ,

Τολ-

Τολμᾷ δ᾽ ἃ μὴ χρὴ τῇ βίᾳ νικώμενον,

Et ſic explicat poſtrema verba, *ſuſtinetque & patitur quæ non decet*, ἀνέχεται, πάσχει. Hæc leguntur in ejus Theſauro Græcæ linguæ ad vocem τολμάω, quo loco hoc idem Euripidis exemplum adducit, ut probet τολμᾷν idem etiam ſignificare, ac ἀνέχεσθαι, πάσχειν, *ſuſtinere*, *pati*. Fallit igitur nos H. Stephanus, ſi tibi auſcultamus, turpiſſimeque fallitur ipſe. Sed quid? nonne & alia exempla, quæ ante commemoravimus, ejuſdem verbi clariſſima ſunt? At video quid tibi ſumis. Dixerint alii, inquis, ut lubet; ego unus ſapio, ego unus ceteros omnes doceo, penes me unum eſt jus, & norma Græce loquendi. Atque ſane ita credamus oportet; quoniam tu unus ab omnibus diſſentire vis, & ſecus, ac omnes alii, explicare voces. Audi etiam Scholiaſtem perinde ineptire, quia perinde atque alii hoc loco verbum τολμᾷ interpretatur. Hæc ejus ſunt verba: ὑπομένει γὰρ ἃ μὴ πρέπει ὁ ἄνθρωπος ἐκεῖνος, ὑπὸ τῆς ἀνάγκης νικώμενος, h. e. *ſuffert quæ non decent*, *homo ille* (h. e. qui obnoxius eſt ſervituti) *neceſſitate coactus*. Ex his intellige, ſis, tandem, te unum falli, ceteros ſapere. Ad hæc oſtendo, te non eſſe hic verbi πεφυκέναι, vel ut alii legunt πέφυκ᾽ ἀεὶ, ſignificationem aſſecutum. Putaſti, δοῦλον πεφυκέναι ſignificare hoc loco, *in ſervili conditione* (hæc tua ſunt verba) *& ſervo cum animo naſci*. At nihil aliud hic ſignificat, quam εἶναι, ὑπάρχειν, prout res exigit, & natura comparatum eſt. Non enim erant in ſervitute natæ Trojanæ mulieres, ceterique Troes; ſed erant captivæ malo earum fato, & συμβεβηκότως factæ, hoc eſt, a victoribus Græcis. Locus eſt itaque ita explicandus: *Fieri ſervum, ut nos ſumus factæ, miſerum eſt ſuapte natura, & ille qui ſervus fit, ſuſtinet ea, quæ minime decent*, h. e. *quæ, ſi ſervus non evaſiſſet, non ſuſtineret*. Et hæc iccirco dicebat Chorus, quia audiebat Ulyſſem, qui barbaros ingratos, exleges appellabat Trojanos, & hæc probra ſuſtinere

debebat, quia Græcorum ſervitute premebatur. Hinc, o miſeram noſtram, quippe captivæ ſumus, conditionem! exclamat Chorus, convicia hæc & contumelias, quæ in nos congerit, & quæ minime decent, ferre debemus. At ita fit, ut qui ſervi evadunt, ſuſtinere, & tolerare debeant, quæ ceteroquin non ferrent. Poteſt ne eſſe hæc explicatio clarior? At equidem moriar, ſi ita non eſt locus explicandus. Hinc videas neceſſe eſt, niſi cæcus omnino ſis, te tota aberraſſe via, nihil te eſſe veri expiſcatum, nihilque prorſus Poetæ mentem aſſecutum, ut tute putide gloriabaris. Hactenus tua vidimns, quæ majoris momenti ſunt; videamus nunc quæ minoris.

Ver. 370. legitur:

Οὔτ᾽ ἐλπίδος γὰρ, οὔτέ του δόξης ὁρῶ
Θάρσος παρ᾽ ἡμῖν................

Tu locum caſtigas. οὐδέ τοι δόξης, inquis, *legendum eſt pro* του. Falleris de more, & ut tuum eſt, Græcæ linguæ imperitiam præ te fers. του hoc loco pro τινὸς ponitur. του ſine accentu pro τινὸς, inquit H. Stephanus, uſurpatur. Eſt enim *encliticum*. Sub manum ſunt exempla. Ariſtophanes in Pluto, εἴ του δέει, *ſi qua re eges*. Sophocles perinde prope, ac hic Euripides, οὔτέ του κλύων σάλπιγγος, *neque ullam tubam audiens*. Quo quidem loco, ut hic apud Euripidem, θηλυκοῦ generis eſt. Quæ lectio ſatis clare colligitur etiam ex Scholiaſte, qui ita ἀντιφραστικῶς explicat: οὔτε γὰρ θάρσος ἐλπίδος ὁρῶ, οὔτε δόξης ἢ ὑπολήψεως τινός. Vide τινὸς pro του explicari.

Ver. 401. habet Barneſii editio, ut & ego edidi:

Ἀλλ᾽ οὐδ᾽ ἐγώ μιν τλώδ᾽ ἄπειμ᾽ αὐτοῦ λιπών.

Tu corrigis ἔγωγε τλώδ᾽, deleto μιν. Dum hæc tua mecum ipſe reputo, nequeo, mihi crede, in animum inducere, te ſcientem prudentemque ea ſcripſiſſe; atque ferme mihi perſuadeo, data opera certoque conſilio talia te excogitaſſe, joci cauſſa, riſumque ut moveres. Μὶν poetice ſignificat *ipſum*, *ipſam*, quo nihil pro-

prope eſt apud Poetas uſitatius. Appoſite igitur Ulyſſes Hecubæ dicenti,

Ὡς τῆσδ᾽ ἑκοῦσα παιδὸς οὐ μεθήσομαι

Hanc quidem mea ſponte filiam non dimittam reſpondet:

Ἀλλ᾽ οὐδ᾽ ἐγώ μιν τῇδ᾽ ἄπειμ᾽ αὐτοῦ λιπών.

Sed neque ego ipſam hanc hic relinquens diſcedam. *μιν*, h. e. *ipſam*, *τῇδ᾽* veluti *δεικτικῶς*, *quam teneo*. Manu enim eam Ulyſſes prehenderat, ut e ſinu matris eriperet. Hecuba vero ei, veluti hedera quercui, ut paullo ante dixerat, adhærebat. Nunquid corrigis, ut tertio loco jambus fiat? At ſpondæus etiam eſſe poteſt. Lege verſum continuo ſequentem, in quo, tertio loco, *μοι και* ſpondæus eſt, & paullo ante ver. 395. *λω μη* perinde.

Ver. 501. qui ita ſe habet:

Ἔα· τίς οὗτος σῶμα τοὐμὸν οὐκ ἐᾷ

Κεῖσθαι; . . . .

pro *ἐᾷ* emendas *ἐᾷς*. Imperite. Nam in tertia perſona, ut dicunt Grammatici, loquitur Hecuba, h. e. *quis eſt hic, qui non ſinit corpus meum jacere?* Deinde mulier ipſum, quiſquis ſit, alloquitur. Ut autem intelligas, me quod ajo, & ratione & auctoritate præſtantium Criticorum confirmare, in medium affero verba, quibus Scholiaſtes hunc locum explicat. En verba *τίς ἐστιν οὗτος ὅστις οὐκ ἀφίησι τὸ ἐμὸν σῶμα κεῖσθαι*. Quid clarius, ut tibi pateat, non *ἐᾷς* ſed *ἐᾷ* legiſſe Scholiaſtem? *ἐστιν*, & *ἀφίησι* id manifeſtiſſime probant.

Ver. 603. qui hujuſmodi eſt:

Καὶ ταῦτα μὲν δὲ νοῦς ἐτόξευσεν μάτην

Hic quoque ſatis concinnam lectionem corrumpis. Legis enim *μὲν ὅδε νοῦς*. Facile videre poteras, *μὲν δὴ νοῦς* eſſe legendum, atque *τὸ δὲ σφάλμα* eſſe Typographorum, facillime *η* in *ε* commutato. Atque profecto in aliis editionibus, in quas hujuſmodi *σφάλμα* non irrepſit, legitur *μὲν δὴ*, quod belle & rei & metri rationi quadrat ſine illo tuo *μὲν ὅδε νοῦς*, quod & nulla neceſſitate addi-

 tur,

tur, & tribrachum ſecundo loco ponit, qui etiamſi non ſit inuſitatus; eo tamen nonnihil ſit verſus inelegantior. Hoc igitur facit, ut arguamus, te ne cognoſcere quidem, quodnam ſit ſcriptoris, quodnam Typographi σφάλμα. Quod etiam ex ſequentibus patet.

Ad ver. 779. ubi legitur:

Τῦνον μασδίυσ' ἢ πονῦσ' ἄλλον πόνον

hæc ego annotavi: *τὸ μαστδίυσ', quod antea legebatur, putavi corruptum. Quare cum Cantero, & aliis μασδίυσα, vel ματδίσα repoſui.* Hanc meam certe probandam annotationem, quia a me proficiſcitur, quaſi nihil boni a tantulo viro proficiſci poſſit, ita imperitiſſime carpis: *Hoc eſt clavo clavum expellere. Æſtimes hinc Criticum noſtrum, cui perinde fuit in his metris, utram lectionem præferret. Cantero certe nunquam perinde fuit.* τὸ μασδίυσ' per σφάλμα irrepſit. Quod vero dixi, me μασδίυσα, vel ματδίυσα repoſuiſſe, ſi æquior erga me tibi fuiſſet animus, intellexiſſes, me voluiſſe ſignificare, utrunque verbum, quod pertinet ad ſignificationem, idem eſſe; quod vero ad metrum attinet, ne habeatur ſpondæus ſecundo loco, ματδίυσα eſſe legendum. Dixi μασδίυσα, ſi per metrum licuiſſet, aut ſi præter normam poneretur, quod jam apud noſtrum alias deinde factum eſſe oſtendam, cum legerem & apud Scholiaſtem τῦνον ζητῦσα pro τῦνον ματδίυσ' poſitum, non explicandi gratia, ſed tanquam Poetæ verba. Addidi tamen conſulto, vel ματδίυσα, ut indicarem ita ob metri rationem & Canterum, & alios legiſſe. Sed fac, finge, (vide quam tibi velificor) me revera ſcripſiſſe μασδίυσ', & pro eodem, ac ματδίυσ' poſuiſſe? quid nunc? videor ne tibi lapides loqui? Ignoras τὸ σ elidi ante alteram conſonantem nulla poſitione facta? μα in μασδίυσ' eſt poſitione longa; at τὸ σίγμα, quod κίβδηλον a Pindaro vocatur, h. e. *adulterina & non vera littera*, & a Meſſala Corvino ſibilus dicitur, ita liqueſcit, ut poſito etiam ante alteram conſonantem, præcedens littera corripia-

tur.

tur. Tibi ante oculos exhibet exempla Grammatica ipſa. Aratus:

Ωρῃ ἑσπερίῃ κρώζει πολύφωνος κορώνη·

φωνος κο, ut vides, dactylus eſt, quod fit præter normam ob litteram *σ*. Quod imitatus eſt Cicero in Aratum:

Delphinus jacet haud nimio luſtratus nitore.

Vide porro vocalem ante *σ* ſequente alia conſonante in eadem dictione, corripi, cum deberet poſitione produci. Hom. lib. 5. Odyſ. ver. 237.

Δῶκε δ' ἔπειτα σκέπαρνον ἐΰξοον, ἦρχε δ' ὁδοῖο.

Quo loco *πειτα σκε* dactylus eſt præter normam. Sed hoc etiam mitte, puta indictum eſſe, aut nihil omnino urgere. Alia etenim habeo, quibus valide urgeam. Sit reapſe *μαςὰ* in *μαστάνω*, quemadmodum juxta normam fit, ſpondæus. Ajo atque demonſtro, ſpondæum ſecundo loco non eſſe Tragico noſtro inuſitatum. Lege verſum 685. hujuſce Tragœdiæ:

. . . . αἶ, αἶ κατάρχομαι νόμων

Βακχείων ἐξ ἀλάστορος ἀρτιμαθὴς κακῶν

Secundo loco eſt ſpondæus hoc modo: *βακχει — ων ἐξ — αλας — τορος αρ — τιμαθης — κακῶν*. Quid? mutabis lectionem? Sed hac tua tanta Critica, qua omnia in hac Tragœdia tam exquiſite perpendiſti, excuſſiſti, nihil eſt mendi hoc loco a te animadverſum. Belle jam omnia, & ſignificatio verborum, & oratio ſe habent. Nihil igitur potes, nec debes mutare. Quapropter reſtat, ut intelligas, apud Tragicos præſertim metrum aliquando præter etiam normam ſe habere. Scis enim, quænam ſit Poetarum licentia. Anapæſtus non debet juxta Canonas ſecundo, & quarto loco poni; at ab Euripide ponitur. Quod compertum eſt, cum ex verſu, quem paullo ante citavimus; tum ex ipſo Barneſio, qui in verſum ſeptimum hujus Fabulæ hæc annotat: *Nonnulla exemplaria habent Θρῄκιῃ. Utroque modo ſtabit verſus; cum in quinto loco, ut in primo, & in tertio anapæſtus poni ſolet; ab Euripide etiam*

ali-

aliquando, in ſecundo, & quarto. At tandem mihimet opponam ego adverſarium, qui objiciat, in exemplo ſupra allato ὢν ἐξ jambum eſſe poſſe ob liquidam ν, ita docente Renato Guillonio: *Liquidæ (quas alia ratione immutabiles vocant)* λ, μ, ν, ρ, *quibus adjicies* σ, *liqueſcunt non raro, atque adeo emollitæ, vimque conſonantis amittentes, ac ſi evaneſcerent, vocalem proxime antecedentem, alias longam, corripiunt.* Itaque cum idem ſit ac ſi evaneſceret in βακχείων littera liquida ν, ὢν ἐξ jambus eſſe poteſt, ut idem ſit, ac ὢ ἐξ, vocali longa ante vocalem correpta. Quod ut probet laudatus Guillonius, præter alia, commemorat illud Heſiodi:

Εἰ γάρ τοι ἐξ χρῆμα ἐγχώειον ἄλλο γένηται

Ubi prima in ἐγχώειον brevis eſt. Nec velim, ut vim hujuſce exempli eleves, legas χρῆμ'. Nam χρῆμα legit citatus Criticus, & ita legendum eſſe exemplis aliis demonſtrat. At perinde eſt ratione metri in μαστίδυσ'; quia eadem eſt regula de littera σ, quæ adeo emollita eſt, & vim conſonantis amittit, ac ſi evaneſceret. Plura dixi, ut hinc æſtimetur mea Critica, qua etiamſi tibi dem, quod dandum non eſt, habeo tamen quo me tuear. Ac profecto, ſi hoc loco me injuria ſugillas, quid dixiſſes de Euſtathio celeberrimo viro, & Græcæ linguæ peritiſſimo, qui ver. 306. Hecubæ legit in lib. I. Ariſt. Nicomach. ἐν τούτῳ γάρ πάσχουσιν cum ſpondæo ſecundo loco? Carperes illum, ut carpſit Barneſius; ſed ſi viveret tantus vir ſuam lectionem tueretur. Hoc iccirco dico, ut videas, aut falli etiam præſtantiſſimos Viros, aut jambum ſecundo loco præter normam poni aliquando poſſe. Quod etiam porro demonſtro. Verſu 10. Heraclidarum, qui hujuſmodi eſt

Ναίω, σὺ κείνου τέκν' ἔχων ὑπὸ πτεροῖς

Barneſius reſpuit συκείνου, quod alias legebatur, quia, ait ipſe, prior ſyllaba producenda eſt, quod metri ratio non patitur. At ego repono, vel σὺ in συκείνου corripi-

ripi-

ripitur, vel certe ſecundo loco ſpondæus præter normam ponitur. Nam etiam in Oreſte perinde legitur:

Λέξειν τἀκεῖθεν σοῦ κασιγνήτου πέρι

Idem eſt enim τἀκεῖθεν, ac τἀκείνου pro τὰ ἐκεῖθεν, & τὰ ἐκείνου, quod attinet ad primam ſyllabam. Sed ad alia veniamus.

Ad ver. 831. ubi ita legitur:

Ἐκ τοῦ σκότους γὰρ, νυκτέρων τ᾽ ἀσπασμάτων,
Φίλτρων ὁμοῦ τε, τοῖς βροτοῖς πολλὴ χάρις

hæc ego annotavi. ἀσπασμάτων] *Nonnihil mutat Kingius in editione ſecunda* Cantab. *Sequor ego primam*. Tu vero pro uſitata tua in litteris auctoritate ſic reponis: *Quid Kingius ibi mutavit, non novimus; id autem pro certo,* ὁμοῦ τε *corruptum eſſe. Conjicimus,* ὁμοῦται *legendum, quod valde κύριον eſt, & a Quintiliano celebratæ Euripidis κυριολογίᾳ bene convenit. Conſtructio eſt,* πολλὴ χάρις τῶν φίλτρων ὁμοῦται τοῖς βροτοῖς ἐκ τοῦ σκότους, *&c. Multa gratia amorum conciliatur (in unum* ὁμοῦ *cogitur) mortalibus per tenebras & nocturna baſia, ideſt, homines matrimoniis junguntur, & conciliantur antea longe diſſiti locis, & animis quoque multum diverſi. Si cui tamen verbum, in Lexicis fortaſſe non* proſtans, ὁμόω *non arrideat, ille, nobis tamen non ſuffragantibus,* ἑνοῦται *poterit legere*. Eodem recidis, quo ſemper ante. Tua te ſententia fallit; ſiquidem ais, pro certo habendum eſſe ὁμοῦ τε corruptum eſſe. Immo vero tu venuſtam ſatis appoſitamque lectionem corrumpis. Rem oſtendo. Primum quidem ὁμοῦται χάρις nequit ſignificare *conciliatur gratia*, ut tu explicas. Invenitur, quod ignoras, apud Homerum ὁμωθῆναι; ſed ita conſtruitur ὁμωθῆναι φιλότητι. Quare, ſi Græcæ φράσει, docente Homero, adhærere velles, dicendum eſſet, ὁμοῦνται οἱ βροτοὶ χάριτι, niſi tibi fortaſſe licere putas, novas Græcas dicendi formulas, a nemine Græcorum uſurpatas, tua ſponte condere. Verbum ὁμόω, quod tu neſciebas, in Lexicis eſt, & præterea tibi quomodo conſtruatur a Græcorum principe, h. e. ab

Ho-

Homero, demonſtro. Demonſtra tu mihi, ita verbum conſtrui, ut a te conſtruitur, & de *ſyntaxi*, quam modo reſpuo, tunc concedam. De qua etiam ſi concedam, aliud eſt, quo tuam emendationem refellam. Hecuba enim non loquitur de matrimoniis, quibus, ut tu ais, *junguntur & conciliantur homines longe diſſiti locis, & animis quoque multum diverſi*. Nihil hujuſmodi in mente Hecubæ; ſed de gratia illa loquitur, cujus paullo ante mentionem fecerat:

Ἠ τῶν ἐν εὐνῇ φιλτάτων ἀσπασμάτων
Χάριν τίν' ἕξει παῖς ἐμή; κείνης δ' ἐγώ;

Poſt quæ, addit mulier, tanquam rei narratæ ἐπιφώνημα,

Ἐκ τοῦ σκότους γὰρ, &c.

Quo loco ἐλλειπτικῶς debet intelligi γίνεται, ut explicat Scholiaſtes, ἐκ τῆς νυκτὸς γὰρ, καὶ ἐκ τῶν νυκτερινῶν φίλτρων, πάνυ μεγίστη γίνεται χάρις τοῖς βροτοῖς, *ex nocte enim, & ex nocturnis voluptariis illecebris fit mortalibus quam maxima gratia*. Loquitur Hecuba de filia ſua Caſſandra, cui Agamemnon, quia eam noctu in deliciis voluptariis habebat, ob captas ex ea voluptates debebat ei beneficia conferre, multoque eam amore proſequi & ob illam itidem Hecubam. Porro ὁμοῦ non redundat; ſed belle ponitur, ut ſignificetur *ex nocturnis amplexibus ſimul & dulcibus oſculis*, ut illud Homeri Iliad. 1. ver. 61.

Εἰ δὴ ὁμοῦ πόλεμός τε δαμᾷ καὶ λοιμὸς Ἀχαιούς.

Siquidem & bellum ſimul, & peſtis domat Achivos.

Et apud Tragicum Noſtrum Heraclid. ver. 833.

.... στεναγμὸν, οἰμωγὴ δ' ὁμοῦ;

Quam Græcam dicendi formulam videntur imitati Latini, qui dicunt, *ſimul &*. Quapropter, cum τὸ ὁμοῦ τε & ad locum, ut oſtenſum eſt, ſit apprime accommodatum, & φράσις reperiatur Græcis uſitata, non erat, cur ὁμοῦται inuſitata ratione legere velles.

Haud ſecus ver. 852. nulla neceſſitate, nulloque bono caſtigare contendis:

Καὶ

Καὶ βούλομαι θεῶν θ' οὕνεκ' ἀνόσιον ξένον
Καὶ τοῦ δικαίου, τήνδέ σοι δοῦναι δίκην.
Εἴπως φανείην γ', ὥς τέ σοι καλῶς ἔχειν,
Στρατῷ τε μὴ δόξαιμι Κασσάνδρας χάριν
Θρήκης ἄνακτι τόνδε βουλεῦσαι φόνον.

Quid ad hæc tu? Meam quidem interpretationem italicam planam & ſuavem appellas; ſed quoniam ſemel id tibi ſumſiſti, ut quidquid, etiam probabile, cum ſit a me profectum, redargueres, ſic opponis: *Latet vitium in* φανείην, *quod putemus in* φανείη *refingendum, & redire ad Thracem, quem in præcedentibus impium Thracem appellaverat. Volo quidem & cupio hoſpitem impium, ſi modo talis appareat, deprehendatur, & convincatur eſſe, deorum juſtitiæque in gratiam, tibi meritas pœnas dare, quo & tu contenta poſſis eſſe, & ego non videar Thraci cædem in gratiam Caſſandræ machinatus fuiſſe. Notandum nempe* δόξαιμι *non conſtrui cum* εἴπως*; ſed cum* ὥστε *proxime præcedente*. Non dubito, quin ex his quoque intelligant illi, qui partium ſtudio non abrepti, & ſciunt probe, & volunt candide de rebus judicare, aut a bona mente te inopem eſſe, aut eo certe animo affici, quo velis quocunque tandem modo etiam ſtultiſſime, mihi adverſari. Quid? ambigebat ne Agamemnon, num eſſent vera, quæ narraverat Hecuba de impio Thraciæ rege, qui Polydorum interfecerat? Omnia jam de patrato facinore conſtabant; atque ex iis, quæ ante mulier Agamemnoni expoſuerat, nullus erat reliquus dubitandi locus. Atque ſane, ſi Hecuba audiviſſet Græcorum Regem adhuc de re dubitare, non tacuiſſet; ſed quæ dixerat affirmaviſſet iterum ſæpiuſque, ne quid illi in animo dubitationis relinqueretur. Sed cur ego pluribus immoror in re, quæ jam ſatis plana & explorata ex ipſa verborum conſtructione videtur? Nam τὸ δόξαιμι non poteſt referri ad τὸ ὥστε, ut tu imperite vis. Eſſet enim dicendum δόξαι, quemadmodum dicitur ἔχειν. Sic namque conſtruitur ὥστε.

Dein-

Deinde copula τε, quæ legitur poſt ϛρατῷ, facit, ut δόξαιμι referatur ad φανῆναι. Tota hæc mea explicatio per ſe quidem patet; ſed declaratur præterea confirmaturque a Scholiaſte, cujus hæc ſunt verba in hunc locum: δέον δόξαι εἰπεῖν, πρὸς σοί τ' ἔχειν· ὁ γὰρ τε σύνδεσμος τοῦτο ἀπῄτει, δόξαιμι εἶπε πρὸς τὸ φανῆναι, h. e. *neceſſe erat dicere* δόξαι, *ut poſſet ad* τὸ ἔχειν *referri; quoniam vero copula* τε *hoc vetuit, dic* δόξαιμι, *ut referatur ad* τὸ φανῆναι. Vides Scholiaſten legere φανῆναι, qui inſuper totum locum ita interpretatur: εἴπως δυνατὸν γένοιτο, ὥς τε καὶ σοὶ καλῶς γενέσθαι, καὶ τοῖς ἕλλησι μὴ δόξω διὰ Κασσάνδραν τιμωρεῖσθαι τὸν Πολυμήστορα, h. e. *ſi quo modo poſſibile ſit, ut & quod ad te attinet res belle ſe habeat, & ego non videar Caſſandræ cauſſa in Polymneſtorem animadvertere*. Tu igitur, quemadmodum hinc palam fit, tuam emendationem confidenter admodum, ſine ulla auctoritate & ratione promis; ego illam & ratione & auctoritate refello.

Non abſimile eſt illud, quod ſponte tua, tuo arbitratu confingis ver. 1040. ubi legitur

Βάλλων γὰρ οἴκων τῶνδ' ἀναῤῥήξω μυχούς.

Legendum eſt, inquis, μοχλούς. Cui bono, qua de cauſſa non video. Puto certe, ut eadem via, qua incepiſti, pergas in errores labi; quandoquidem vulgata lectio videtur haud dubie ad rem accomodatior. Quod, ut pateat, juvat utranque verborum ſignificationem in medium afferre. τὸ μυχοὺς ſignificat *penetralia*, *angulos* domus; τὸ vero μοχλοὺς *vectes*, quibus fores obfirmantur, *peſſulos*, κλῆθρα. Minatur Rex Thraciæ vehementiſſimo dolore & ira inſaniens, ſe velle domum totam *dejicere*, *perrumpere*, *fundamenta convellere*. Quare Scholiaſtes interpretatur: οὐ μὴ διαφύγητε, πλήττων γὰρ καταβαλῶ τὰ θεμέλια τῶν δόμων τούτων, *non effugietis; ſiquidem ego impetum faciens dejiciam atque convellam fundamenta hujus domus*, h. e. *domum hanc dejiciam*. Atque ſane μυχοὺς τῶνδ' οἴκων περιφραστικῶς idem eſt ac τούσδ' οἴκους. Exemplo rem commonſtro. In

Cy-

Cyclope ver. 478. apud Tragicum noſtrum ita legitur......... *κἀξέβην' ἄντρου μυχῶν*, *& egreſſus ſum ex antri angulis*, h. e. *ex antro*. Neſcio itaque, cur velis *μυχοὺς* rejicere. Non alia ut video, de cauſſa, niſi ut nova obtrudas, & præ aliis ſapere videaris. Sed videaris quantumvis, nemo certe, cui pectus ſapiat, huic tuæ tantæ felicitati invidendum putabit. Facile enim eſt plebi litterariæ imponere; viris autem non ignaris rerum admodum difficile.

Ver. 1080. & ſequentes, qui ſunt hujuſmodi:

Ναῦς ὅπως ποντίοις πείσμασι
Λινόκροκον φάρος στέλλων
Ἐπὶ τάνδ' ἐσσυθεὶς,
Τέκνων ἐμῶν φύλαξ,
Ὀλέθριον κοίταν

rurſus ad trutinam revocas, & hanc tuam animadſionem apponis: *Ver.* 1080. *& ſequentes, quorum jam ſupra dedimus & Græca verba & italicam interpretationem, ſub incudem revocandi nunc ſunt. Videbit quiſque facile conſtructionem* ναῦς, *&* στέλλων *non quadrare, cum illud fœminini, hoc maſculini generis ſit. Videbit etiam paullo attentior,* φύλαξ *in iſtis* (τέκνων ἐμῶν φύλαξ) *incongruum eſſe, & prorſus non neceſſarium. Demto enim hoc, nihil decedit ſermonis, aut gratiæ, aut emphaſi, aut integritati. Facilis quidem & in promptu eſt affectæ vocis* ναῦς *medicina.* Ναὸς *enim reſcribendum. At utinam & alterius foret! Quid, ſi pro eo* φίλων ſubſtituatur? *Aut, ſi metrum patiatur, de quo viderint peritiores,* φώκας? *Conſtructio hæc foret,* σὺ θεὶς ἐς τάνδε φώκας κοίταν, ὀλέθριον τέκνων ἐμῶν, *& ſenſus emergeret: ut qui funibus marinis (in mari uſu venientibus) regit velum navis e lino contextum; ſic ego illapſus in hoc Phocæ antrum, filiis meis exitiale, vel in hanc Phocæ foveam, filiorum meorum perditricem. Nolumus hanc noſtram conjecturam pro certa venditare, aut cuiquam obtrudere; ſed interea proponimus, ut tantummodo probabilem, donec tu, Phœbe, lucebis. Monemus tamen, ſi*

Poe-

Poetæ velimus exiſtimationem tueri, tanquam Scriptoris juſte & acriter cogitantis, hic debere vocem erui, quæ aut ſyrtim, vel ſcopulum notet, in quam infelix nauta poſſit impingere, aut potius aliquam marinam belluam homines devorantem, cui poſſit nauta in prædam cadere, & quicum Hecuba commode comparetur. De Phoca autem conſtat, quod bellua ſit ἀνθρωποφάγος, & quod homines fœdi putidique & olentes ei ab Ariſtophane comparentur duobus in locis, qui ex Homero hauſit. Putida vero anus eſt phraſis valde frequens. Quid tantum verborum, quid variarum lectionum tantum, mutato metro, nolente re, hic facis? Tam miſere te torques, & modo hoc, modo illud comminiſceris, nulla te cogente re, neceſſitate omnino nulla. Nimirum Siſyphi more ſudas nitendo, nec proficis hilum. Fit hoc totum ex eo, quod neque hujus loci ſignificationem, neque verborum σύνταξιν ſis probe aſſecutus. Putaſti τὸ ναῦς referendum eſſe ad τὸ σέλων, quod verum non eſt. Hinc in tot te ambages, & anfractus conjeciſti, & hæc & illa longe a mente Poetæ remota excogitaſti. Hinc τὸ φύλαξ delere, hinc de Phoca neſcio quid obtrudere voluiſti, quod tu fortaſſe pro tua eximia eruditione noveris eſſe verum; ſed ego contra, ac tu ais, apud ſcriptores memoriæ proditum reperio. A te dicitur Phoca bellua quædam ἀνθρωποφάγος; ego autem eam φιλάνθρωπον video eſſe appellatam, & ita erga homines natura comparatam, ut de Delphino narratur. Lib. 4. Odyſ. apud Homerum fit Phocarum mentio, quæ ad littus maris apparuerunt, ut Menelaus Telemacho, & Piſiſtrato narrat. Peſſime quidem olebant, ut eodem Homeri loco dicitur, unde etiam Ariſtophanes, qui a te citatur, accepit. At quærentes Critici, quinam homines cum Phocis eſſe potuerint & conſociari, quemadmodum ab Homero inducuntur, hoc ajunt non eſſe incredibile. Ita enim Spondanus in citatum Homeri locum ſcribit: *animal iſtud eſſe φιλάνθρωπον more Delphinorum, quod Eudemi*

au-

auctoritate comprobat Ælianus de Animal. lib. 4. cap. 56. referentis, vitulum hunc marinum in hominem ſpongias piſcari ſolitum amore flagraſſe, eoque ubi ſubterranea petra eſſet, extra mare progreſſum cum ſpongiatore verſatum fuiſſe. Rondeletius vitulum illum marinum, cujus ipſe iconem expreſſit, ait, circa inſulam Larinam captum, & in Inſulæ illius Xenobio multos dies educatum; nullo cum metu cum hominibus verſatum......... apud Varinum ſcriptum eſt, ἡ φώκη ἐρᾷ σωμασίαν ἀνδρῶν. Verum, ut ut ſit de Phocis, nihil admodum ad hunc Euripidis locum pertinent, qui locus, cum jam uſque eo planus explicatuſque ſit, ut per ſe pateat cuique probe ſollerterque legenti, tibi mirum quantum negocii faceſſit, & ut præ te feras, te habere quidpiam probabile, quod conjicias, hæc imperitis, ſpecie non venditandi, venditare contendis. Accipe totam loci hujus conſtructionem explicationemque belle luculenterque a Scholiaſte ante oculos poſitam: ἡ σύνταξις, inquit, τὰ βῶ ἐσσυθεὶς καὶ ὁρμηθεὶς φύλαξ τῶν ἐμῶν τέκνων, ἐπὶ τὴν ὀλέθριον κοίταν στέλλων καὶ κινῶν ἐμαυτὸν, ὥσπερ στέλλει ἡ ναῦς ἐν τοῖς ποντίοις πείσμασι, καὶ σχοινίοις τὸ λινόκροκον φᾶρος. τὸ δὲ τὰ βῶ πρὸς τὸ ἐσσυθεὶς συναπτέον. τὸ δὲ στέλλων μετὰ ταῦτα λέγει. Sunt ne omnia clare explicata, concinne conſtructa, ad rem accomodata? Ex his intelligis, τὸ ναῦς non referri ad τὸ στέλλων, τὸ φύλαξ non redundare, ut tu imperite putas. Icci̧rco autem Rex Thraciæ comparationem inſtituit navis, ut ſignificet, ſe imprudentem omnino, tanquam navem, quæ neſcit quo pergat, ſecum ducentem atque cuſtodientem filios ad locum veniſſe, ubi cædes filiorum fuit patrata. Quibus ſic clariſſime expoſitis, intelligimus probe, mentem conſtare Poetæ, & concinne ſe habere conſtructionem verborum. Quare deſine, cum jam adſit, vocare, ut nobis luceat Apollo, & tuam fatere tandem aliquando ἀβλεψίαν.

Ad verſ. 1195. qui ita ſe habet:

Καί μοι τὸ μὲν σὸν, ὧδ' ἐν φροιμίοις ἔχειν

 hæc

hæc a me ſunt annotata: *καί μοι τὸ μὲν σὸν*] *hoc eſt*, *ὁ ἐμὸς πρός σε λόγος*. *Ita alloquitur Agamemnonem*, *atque ab his veluti exordium ſumit eorum*, *quæ in Polymneſtorem dicturus eſt*. Tu vero ſic ad hæc mea: *Bene quidem hæc*, *præter illud Noſtro ſolemne*, *Polymneſtorem*. *At metro laboranti nihil opus inde accedit*. *Lege ὧδε φροιμίων*. *Sic Græci loqui amant*, *ὧδε cum genitivo*. Gratularer ego mihi hoc loco, male Criticum non egiſſe, ſi illud mihi non objiceres, quod ſcripſerim Polymneſtorem. Quod ſane eo libentius fero, quo te ſum nactus caſtigatorem miranda admodum latinitate præditum. Putaſne me non vidiſſe Πολύμηστορα in hac Fabula eſſe ſcriptum? Polymeſtorem tu ſcribis, ſcribe ut lubet. Ego Polymneſtorem ſcribo, quia in Lexicis atque Grammaticis Latinis non ſemel, ſed iterum, ſæpiuſque ita ſcribi comperio. In Lexico hoc noſtro Patavino accuratiſſime concinnato, & typis Seminarii edito ſemper *Polymneſtor* legitur, & ad hanc vocem, & in voce Polydori. Præterea Servius in lib. 3. Æneid. dicit, Polydorum a Polymneſtore occiſum fuiſſe, quo loco Polymneſtorem ſcribit, non Polymeſtorem. Porro Italos video *Polinneſtore* ſcripſiſſe, quod ſatis indicat, a Polymneſtore latino eſſe factum, quandoquidem nomina per *mn* latine ſcripta reddunt Itali per duplex *nn*, ut *damnum danno*, *ſomnus ſonno*, & id genus plura. Hæc jam ſatis eſſe poſſent, ut patefieret tibi, cur ego Polymneſtorem ſcripſerim. At quoniam ex his etiam intelligo, te penitus prope eſſe a vera germanaque eruditione imparatum, patere, ut paullo latius hac de re diſſeram. Qui & Hebraicis, & Græcis litteris ſtudent, non ignorant, nomina propria Hebræorum, Græcorumque ex vocibus fieri, quæ quidpiam ſignificant, hoc eſt, Hebræa שרש, & Græca *θέμα* habere ſuum, ſive ſimplicia ſint, ſive compoſita. Ad rem noſtram quod attinet, Polymneſtor, & Polymeſtor ex iis vocibus perinde fieri poteſt, quæ idem ſignificent. Factum igitur eſt nomen Græce ex

vo-

voce πολὺ, & ex voce μνήστωρ. Vox πολὺ ſignificat *multum*: μνήστωρ vero, ut explicatur a Suida, idem eſt, ac ἐπιστήμων *prudens*, *peritus*. Item μήστωρ explicatur a Tuſano, & ab aliis ὁ ἐπιστήμων *prudens*, *peritus*, βουλευτὴς, παρὰ τὸ μήδω, fut. μήσω, τὸ βουλεύομαι. Quapropter ſive a πολὺ, & μνήστωρ, ſive a πολὺ, & μήστωρ fiat, idem eſt. At Itali, qui *Polinneſtore* dixerunt, haud dubie a voce Πολυμνήστωρ nomen reddiderunt. Qui vero dixerunt, & dicunt Polymeſtorem a πολυμήστωρ. Neque ſane hoc Græcum nomen eſt unum, quod ita varie a themate deduci poſſit, & varie ſcribi. Etiam nomen Μεναλίππη, quo nomine fuit inſcripta Tragœdia quædam Euripidis deperdita, ſcribitur & Μελανίππη, & quidem Dionyſius Halicarn. non ſemel, ſed ſæpius Μελανίππη ſcribit, & item alii. At in Lexicis Latinis ſcriptum invenies *Menalippe*. Ariſtoteles autem ſcribit Μεναλίππη de Arte Poet. cap. 15. Quæ cum ita ſint, illud tuum Polymeſtorem tibi habeto; & ego meum libentius Polymneſtorem teneam. Nunc venio ad alteram tuæ animadverſionis partem. Ais, me nihil opus attuliſſe verſui laboranti. Quare tu, ut metro conſuleres, ut arbitraris, maluiſti lectionem corrumpere. Quid eſt ὧδε *cum genitivo*? Falleris. Longe rectius ἔχειν cum ſecundo caſu hic conſtrueretur, ut τὸ φροιμίων, quod reponis, ad τὸ ἔχειν eſſet referendum. Dicitur enim ἔχων σπουδῆς, exempla afferente Tuſano, & aliis, h. e. *feſtinans*, ἔχω μνήμης *recordor*, & aliquando cum adverbio ὄντως conjungitur. At cum ὧδε cedo exemplum. Atque ſane apud Tragicum Noſtrum in Hel. ver. 863. τῆς τύχης γὰρ ὧδ' ἔχω debet intelligi τῆς τύχης dandi caſus verbi ἔχω. Præterea ἐν φροιμίοις ἔχειν eſt Græca dicendi formula admodum uſitata Noſtro, & aliis. Hinc invenies, ἐν αἰσχύνῃ ἔχειν pro αἰσχύνεσθαι, ἐν ὀργῇ ἔχειν, ἐν ἡδονῇ ἔχειν, & alia id genus plura. Quamobrem mihi religio fuit, ne vulgatam lectionem ἐν φροιμίοις ἔχειν ſuo loco moverem. Quid vero, ſi tibi demonſtro, nihil omnino metrum hoc loco laborare?

 Pri-

Primum ajo ἐν φροι jambum eſſe. Accipe regulam, quam te docent metricæ artis magiſtri: *Liquidæ non ſolum poſtpoſitæ mutis; ſed etiam (quod prima fronte mirum eſſe videatur) antepoſitæ liqueſcunt plerunque.* Quod exemplo probant Homeri, qui lib. Iliad. ultimo ita ſcripſit:

Ἀλλ' ἐγὼ οὐδέν σε ῥέξω κακὸν οὐδέ κεν ἄλλον.

Quo loco κον in κακὸν corripitur, quia ξω κακον dactylus eſt. Quod fortaſſe non animadvertentes Critici alii lectionem mutarunt, & pro οὐδέ κεν, vel ἠδέ κεν, quod etiam legebatur, ἀλλά κεν ſcripſerunt. Hoc, quod ajo, clare oppido apparet ex illo altero verſu Iliad. l. 22., cujus meminit Guillonius, ut probet, liquidam ante mutam liqueſcere.

Τῶν μνῆσαι φίλον τέκνον, ἄμυνε δὲ δήϊον ἄνδρα

Quo loco σαι φίλον dactylus eſt. Hinc alii, re hac ignorata, legerunt φίλε τέκνον. Sed quis non videt, φίλον eſſe legendum multo rectius? Alia exempla prætereo, quæ congerit citatus Guillonius. Sic ἐν in citato Euripidis verſu corripi poteſt, atque propterea nihil eſt mutandum. Deinde (& hinc vide quam ſim in concedendo effuſus) ſit ſpondæus quarto loco. At quid mirum, ſi etiam ſecundo loco ſpondæus a Noſtro ponitur, quod vidimus ſupra? Sed eſt præter normam. Eſto; etiam anapæſtus eſt quarto loco præter normam; ponitur aliquando tamen. Multa ſibi licere putarunt ſemper Poetæ. Certe quidem ipſe etiam Scholiaſtes vulgatam lectionem ἐν φροιμίοις confirmat. Explicat enim, οὕτως μοι διάκειται ἐν προοιμίοις.

Commemoras tandem illud, quod ego ad verſum 1215.

Καπνὸς δ' ἐσήμαιν' ἄστυ πολεμίων ὕπο &c.

annotavi, h. e. legendum eſſe καπνὸς pro καπνῷ, quod alias legebatur. Hæc lectio clare a me demonſtrata tibi probatur. Quare poſtremo iis omnibus, quæ in nos hactenus ſeveriſſime animadvertiſti, τοῦτον κολοφῶνα, pro tua in me perſpecta jam benignitate, ἐπιθεῖναι pla-

placet: *Credimus jam, ſufficientem hujus libri ideam nos dediſſe; in quo toleraremus omnia, modo tot indigna lectoribus Euripidis non immiſcuiſſet, quibus parcere cum chartæ compendio potuerat. Quis enim tam tiro audeat Euripidem attrectare, qui non novit κὤπω eſſe ex καὶ ὅπω, & οὑμὸς pro ὁ ἐμὸς, quorum illud ad verſum* 1194. *hoc ad verſum* 1229. *& alia talia alibi ſatis ambitioſe tradit. Ferendum eſt, quod Criticus non ſit, quem tamen Euripides, ſi quis alius, maxime flagitabat. Natura non cuivis hoc donum indulſit. Suademus tamen, ut (ſi pergat in cœpto opere, quod vehementer cupimus, & ut ipſi feliciter cedat, optamus, modo non jam abſolutum ſit), ut, inquam, ſaltem bonos, quibus abundat Italia, veteres codices manu exaratos luſtret, & erutis inde variis lectionibus nos beet. Quo munuſculo Euripidis amantes æternum ſibi habebit obligatos, & operi ſuo, ſic ſatis commendabili, grande pretium & decus addet.* Tu ſic in me injurius finem dicendi facis; & ego ita in te laceſſitus: Ex his, quæ ego pro Euripidis noſtri, & pro mea item aſſerenda atque vindicanda dignitate dixi, palam eſt, te ineptiſſime hoc tuo munere fungi, effutire quidquid in buccam, leviſſime rerum arbitria facere, ἀπροσδιόνυσα afferre, verbo, te ne Critice quidem quid ſit, ut deinde dicam, intelligere. Quod cum ita ſe habeat, probetur tibi hoc meum opus, non probetur, commendes, aſperneris, nihil moror. Quid nanque iniquius, ineptius quid dici aut cogitari poteſt, quam dicere, iccirco hæc mea toleranda non eſſe, quia κὤπω, & οὑμὸς explicui? Verſus 1194. hujuſmodi eſt

Κακῶς δ' ἀπόλοιντο, κὤ τις ἐξήλυξέ πω

Quo loco annotavi, κὤ..... πω *pro* καὶ ὅπω *per craſin & tmeſin*. O piaculum maximum, quo obſtringor, & quo fit, ut toleranda non ſint, quæ ceteroquin a te præſtantiſſimo Viro, eruditiſſimo, nemini poſt homines natos comparando, tolerarentur! Sed de me, cadat ut poteſt; res, minime eſſe ſolliciti debemus.

Conſulant ſibi alii præclariſſimi Viri. Toleranda quidem nec ea ſunt, quæ tanto ſtudio tantaque diligentia in Euripidis Noſtri Tragœdiis edendis, atque illuſtrandis poſuit Barneſius, vir Græcarum litterarum peritiſſimus, qui ornatiſſima illa, quam ab eo accepimus, editione; omniumque accuratiſſima ingentem ſibi nominis famam comparavit; ſiquidem ipſe etiam eadem, quæ ego, identidem animadvertit: ἁμὸς pro ἐμὸς in Electra: ταὐτὸν pro τὸ αὐτὸν in Heracl. γνῶμα pro γνώμη ibidem: δρᾶσον pro δράσεις in Hecuba: ἐγῷδα pro ἐγὼ οἶδα in Elect. εἰμ' pro εἰμὶ in Troad. Μενέλεως, Μενέλεως pro Μενέλαος in Rheſo: ναῖς pro νηῒς in Hippol. πλέως pro πλέος in Cycl. φρῦμγυ pro φρὸ ἔργυ in Hel. τοὔμπαλιν pro τὸ ἔμπαλιν in Hel. τοὐπίσ' pro τὸ ἐπί σε in Hecuba: τοὐπ' ἐμ' pro τὸ ἐπ' ἐμὲ. Nonne hæc, & alia plura Barneſii, iis ſimilia ſunt, quæ in me tantopere reprehendis veluti indigna Viris, qui Euripidem lectitare ſolent? non dico *attrectare*, quod tuum verbum eſt, alias etiam uſurpatum, turpe prope dixerim; at certe hac notione, ridiculum. Tolerandæ tuæ quidem eſſent quadantenus caſtigationes, quas pro tuo munere, cui utcunque conſulere debes, ſi latine ſaltem eleganterque ſcriberes; ſed neſcio quibus formulis & verbis uteris, quæ nullum profecto ſapiunt latinum ſcribendi genus. Sed hæc obiter. De Barneſio, ut inſtitutum eſt, dicamus. Rejiciendus igitur per te eſt Barneſius, qui talia explicuit. Quid Joannes Brodæus? Eadem fata ſubire debet, & miſer perinde eſt ridendus, quia plura ejuſdemmodi recenſuit, explicuit, annotavit. In Iphigen. in Aul. ἐπὶ κάρᾳ explicat ἐπὶ τῇ κεφαλῇ: ibidem, ἔνι pro ἔνεστι: Ibidem ταὐνόντα pro τὰ ἐνόντα: Ibid. πάρα pro πάρεστι: in Rheſo ὡὑτὸς pro ὁ αὐτὸς: Ibid. τοὐπίσ' pro τὸ ὀπίσω: Ibid. χ' ὡ pro καὶ ὁ. Ibid. λυπρὸν pro λυπηρὸν: In Troad. κἄπο χροὸς pro καὶ ἀπὸ τοῦ σώματος Ibid. χ' ἀτέρων pro καὶ ἑτέρων: In Bacch. iterum ὡὑτὸς pro ὁ αὐτὸς. In Cycl. χ' ὥτι pro καὶ ὅτι. Sed quid plura commemoro, quibus

bus

bus demonſtrem a Criticis magni nominis hæc, & his ſimilia non fuiſſe prætermiſſa in ſuis annotationibus? At hercle tibi, non modo ii Critici, qui hujuſmodi annotationes conſcribere ſolent, faſtidium parient; ſed etiam Latini aures tuas non implebunt capaciſſimas; quinimmo tuam perſpicaciſſimam mentem, cui niſi ſublimia & præſtantiſſima placent, defatigabunt, tibique ſtomachum movebunt annotationibus illis, quibus τὴν παραγωγὴν V. G. in Plauto annotant, *adducier*, *afferrier*, *effodiri*, *emoriri*, & alia ſexcenta: τὸν ἀττικισμὸν, ut *gaudere gaudium*, *ludere ludum*, & alia pleraque: τὴν μετάθεσιν, ut *opere magno* pro *magnopere*, *quid ego ni* pro *quidni?* & alia: τὴν συγκοπὴν, ut *abin'* pro *abiſne*, *eccillam* pro *ecce illam*, & ſimilia: τὴν τμῆσιν, ut *cumque omnium* pro *omniumcunque*, *quemnam ad modum* pro *quemadmodum*. Hæc & alia id genus annotat Pareus in Plautum, aliique ſpectati Critici. Sed quid ego de re hac tantopere queror? dic tute, ut tibi collibet, toleres, non toleres, perinde eſt. Viri enim illi, qui vere ſapiunt, tibi non auſcultant; quoniam per ſe norunt, quid fit in litteris præſtandum, quid non. Haud dubie qui ſcribunt neſcientibus ſcribunt, & ſi compertum foret, quæ ſcribuntur cuique eſſe nota, nemo eſſet qui ſcriberet, & ſupervacaneum profecto videretur. Quæ tu ſcis, alii ignorant; quæ tu noveris, tibi ſcripta non ſunt; quæ tibi non proſunt, aliis prodeſſe poſſunt. Si tibi non placent, ne legito; ſi tu illis opus non habes, aliis relinquito; ſi tibi non probantur, ne probato, probabunt alii. Jam vides, me omnia feciſſe exemplo monſtrante viam, quam inire cum peritioribus non in contemtum mihi; ſed in laudem cedere puto. Præterea me non Criticum appellas, quem tamen Euripides efflagitabat. Neſcio quid pro Critico intelligas. Mihi certe videris, neque quid ſibi velit Critice, intelligere. Si Critica ea eſt, qua tu uteris, faxint Dii, ut alias dixi, ut nunquam ego ſim Criticus. Sin vero rectum judicandi ſtudium Critica

tica

tica eſt & dici debet, eſt, cur me, cum in aliis operibus in lucem editis, tum in his Tragœdiis Criticum egiſſe, non putide glorier. Implicata explicare, obſcura illuſtrare, vera a falſis ſecernere, quod ad rem magis accomodatum videbatur, ſeligere, prætermiſſa ab aliis exponere, nihil non explicatum relinquere, &, quod caput in meo inſtituto fuit, appoſite, nitide, eleganter, quantum in me erat, Græca Italice reddere, mea Critica fuit. At, inques, Critici eſt varias lectiones expromere, veteribus Codicibus uti. O mi polite vir, quam falleris! Sollicitanda, vexanda, loco movenda non eſt lectio niſi ubi neceſſitas cogat; vel quod oratio non cohæreat, vel quod σύνταξις concinnari non poſſit, vel quod, quavis vera de cauſſa, neceſſe ſit mutare. Si hac interpretandi ratione in Veteribus Scriptoribus præſertim Græcis non utaris, plus prope variarum lectionum poterit quis excogitare, quam ſint verba Scriptoris. Præter jam illa, quæ tot navi induſtriique Critici in Euripidem annotarunt, plura ſunt, velis nolis, quæ ego etiam, mea conjectura uſus & recta, ut puto, judicandi ratione, quod veri Critici eſt, repoſui, reſtitui, emendavi. Ac equidem mihi difficile admodum non fuit videre ubi oratio non conſtaret; ſiquidem Italice mihi reddenti Græca in oculos incurrebant, ſi quæ non cohærerent, neque clare, quid ſibi vellent, intelligerentur. Cum itaque oratio iis, quæ antecedunt, iiſque, quæ ſequuntur, congruit, ſi ad rem, de qua ſermo eſt, ſit accomodata, res ipſa facit, ne de mendo ſuſpicemur, niſi aliud ſit, quod aperte ſecus explicandum poſtulet. Hæc quidem eſt Critica, non illa tua, quam video a te uſurpatam non veritatis ſtudio; ſed ingenii oſtentandi impotenti cupiditate, vel adverſandi certe libidine. Oſtendimus animadverſiones tuas in rem nullo modo quadrare, deturpare magis, quam illuſtrare loca, uno verbo, tuam patefacere ſæpius a me commemoratam ἀβλεψίαν. Quæ in-

interpretandi ratio ſi Critica eſt, iterum dico, tua ſit, eamque tibi natura ſit largita, non invideo, eam non quæro, non cupio. Tandem a me Codices repoſcis, ut variis erutis lectionibus te *beem*, ut tu loqueris elegantiſſime ſemper. Quid de Codicibus dicam? Nonne ſatis mihi fuit, qui jam mihi conſtitui, non commentarium in Euripidem ſcribere, ſed illum Italice reddere, non ut tibi, ſed Italis meis placerem, ex iis proficere, quibus Critici alii uſi ſunt, nempe, ſcholiis Græce editis, Cod. Baroc. Cod. Henſio-Scaligeriano, Cod. H. Stephani, ex quibus perinde profecit Barneſius? Quid? amandandi ne ſunt, reſpuendi, invidia cumulandi tot eruditiſſimi Critici, qui annotationes ſuas in Euripidem ediderunt, Duportus, Miltonus, Canterus, Brodæus, Stiblinus, Barneſius, & demum P. Brumoy, aliique, qui nihil, aut parum admodum codicibus uſi Euripidem recenſuerunt, illuſtrarunt? Quid? nihili ne facienda eſt Aldina editio, quia variis lectionibus caret ex Codd. depromtis? Sed vide, quam injurius invidusque in me ſis. Diſſimulas, ſilentio præteris, me etiam ex Codicibus quædam promſiſſe, & meis annotationibus illuſtraſſe. Nonne ego ἐν τοῖς προλεγομένοις Hecubæ compendium vitæ Euripidis, nunquam ante editum, ex Codd. Bibliothecæ D. Marci Venetiarum erutum edidi? Nonne argumenta Græca in Oreſtem ex iiſdem Codd. caſtigavi? Nonne expendi Codd. illos, qui in ſeptem primas tantummodo Tragœdias extant, & comperi cum ſcholiis Græce editis convenire? Quo factum eſt, ut inutile ducerem ea citare ex Codd., quæ jam edita in Græcis ſcholiis reperiebantur. Ais, Italiam hujuſmodi Codicibus abundare. Abundabat quidem, & utinam Viri exterarum nationum, deceptis iis noſtratibus, qui erant rerum imperiti, & Codices cujuſvis generis, & alia litterarum monumenta præclara non abſtuliſſent, ut ex noſtris proficerent! Fieri poteſt, haud negem, ut alicubi in univerſa Italia Codices Euripidis extent; ſed

meum

meum inſtitutum id non efflagitabat, ut undique quærerem, neque ſi quærere voluiſſem, & per meæ vitæ conditionem, & per alias, quibus vehementer diſtinebar, & occupabar, res mihi demandatas, potuiſſem. Quoniam ego Patavii ſcribebam, quod erat mihi prope ſub manum, Venetiis exquiſivi, & ea dedi quamvis pauca, quibus hæc mea Græca editio, quam occaſione Italicæ interpretationis in lucem emiſi, auctior aliis dici poſſit. Ut vero de me candide fatear, nolim putes, me tantopere rerum mearum amore æſtuare, ut ſuccenſeam illis, qui mea jure caſtigant. Quod ſi tu feciſſes, mea fateri errata non vererer. Ac equidem ego ipſe video quædam eſſe, quæ accuratius & politius ſcribenda eſſent, quæ hercle ſcribere conabor, ſi iterum, quod ſpero, hæc mea typis excudentur. Et haud ſecus quidem Hiſtoriam meam Morum, quam nuper edidi, ſpero, me iterum auctiorem emendatioremque eſſe editurum. Quotus enim quiſque eſt, qui cum iterum ſua foras emittat, emendatiora, auctiora & expolita magis edenda non curet? Qui litteris inſudant, & faciliorem in dies ſcribendi rationem acquirunt, & mentem perſpicaciorem efficiunt, & doctrinam eruditionemque majorem nanciſcuntur. Sed tandem aliquando vela contrahamus, & quoniam ſatis & pro Euripide Noſtro, & pro me etiam a conflata invidia atque injuria vindicando, me dixiſſe arbitror, reſtat, ut a te etiam atque etiam petam, ne gravate feras, ſi nimis in te παῤῥησιάζειν videor. Quod certe convicii cauſſa non feci; ſed quia illi, qui adverſarium refellit laceſſitus, liberioribus dicendi formulis uti quodammodo liceat. Ceterum, pro certo habe, me nihil laudis tibi ereptum velle, optantem hoc unum, ut nec mea παραδειγματίζειν velis. Sunt laude ſua magna nomina donanda (meum non dico; ſiquidem ego nihil valeo), quæ famam ſibi & nominis exiſtimationem multis operibus in dies magis induſtria elaboratis compararunt. Quod ſi ſtilum exacue-

cuere (quod minime credam) in omnia mea , quæ hactenus edidi, & ſum editurus, ſi fata ſiverint , te delectat, magna tibi erunt oſſa, in quæ dentes, veluti canis , defatiges.

FINIS.

585547

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google